DE PERSECVTIONE ANGLICANA LIBELLVS.

auctore Parsons Rob. S.J.

Cum Licentia Superiorum.

ROMAE,
Apud Franciscum Zanettum.
MDLXXXII.

Compulsat

Colleg. Ignatian.
IHS
Prov. Germ. S. J.

PHILIPPO BONCOMPAGNO

S. R. E. CARDINALI
SANCTI SIXTI
Patrono optimo.

Collegium Anglicanum Romanum S.

CVM nuper sit ad nos allatus è Rhemensi Collegio libellus, quo paucis forma quædam describitur calamitosissimi temporis, quod quasi omnis conscelerati furoris ac violentiæ maturitas eruperit, florens illud quondam Angliæ Regnum ita affligit, vt cladem maiorem quotidie afferat: gratum amplitudini tuæ futurum duximus, si tuo nomine diuulgetur, & in manus hominum tam excellenti fultus præsidio veniat: vt perspiciant omnes, quanta nostris temporibus, impiorum spiritus miseriarum incendia excitarit:

& vbi viderint, non deesse Dei beneficio, quos nullum periculum, nulla vis, nullus cruciatus possit de recta fide depellere, miseram potius quàm turpem nostram sciant esse rempub. Quamquam sic esset deformis, nemo eam irridere, sed misereri potius deberet. Est illa quidem ornamentis spoliata, egra, malo affecta; inest tamen quidam in venis ac visceribus calor, qui eam in præsenti, quamuis oppressam, extingui non patitur, & simul atque cælesti aliqua medicina melius erit factum, non pristinam modo ei sanitatem, sed colorem etiã, ac vires continuo reddet. Inuadant Angliam quamlibet graues, difficiles q. morbi, illi certe quæ est in Dei fide locata, dum anima erit, spes erit. Laborare scilicet ac tentari poterit, occidere non poterit. Sunt inter Anglos qui doceant omnia quæ dura, triſtia, aduersaq. sint, ea Dei auxilio, ac pietatis desiderio obteri, ac pro nihilo putari. Nobis certe qui in hoc collegio summa Gregorij xiij. patrui tui liberalitate, & vigi-

lantia,

lantia, tua sub tutela ac patrocinio ad solidam sapientiam, & Christiano homine dignissimam informamur, non concidis eam sæua tempestate animus: erigitur potius, & ad eorum imagines, quorum hoc commentariolo expressæ sunt, non modo intuendas, verum etiam imitandas accenditur. Optatissimum quidem est Angliam saluam, atq. integram videre: proximum, nullas pro eius salute ac dignitate arumnas non perpetiendas putare: postremũ illud, quod omnium maximum esse debet, corpus iamdiu CHRISTO IESV ac Romano Pontifici eius Vicario consecratum libenter offerre, si quo modo repræsentari morte nostra miserabilis regni gloria ac species possit. Oramus proinde amplitudinem tuam, vt quando hac non in vmbra, & palæstra, sed in sole atque aeie geruntur, si erit commodum [illegible], hoc ipsum Anglicani non iam ingenij, & doctrinæ, sed Christiani studij, ac religionis specimen, communi Christianorum

omnium parenti offerat: vt intelligat sanctissimus Pontifex antiquum in Anglorum pectoribus florem siti veteris vbertatis non penitus exaruisse, illud[illegible]e sibi persuadeat, nobis, quibus a[illegible]mi hæc nascuntur, vt carissimam pa[illegible]iam ab interitu vindicemus, vitam prius, quam gratum animum, fidem, ac perseuerantiam, defuturam. Vale.

DE PERSECVTIONE Anglicana: Libellus.

Amicissimo suo Gerardo, Bononiæ.

REQVENTES à te litteras, argumenti non dissimilis recepi: petis enim & vehementer vrges, vt scriptione significem, quæ mihi certa sunt & explorata, de Anglicana in orthodoxos persecutione, cuius tu istic famam esse non exiguam quidem, sed minime tamen explicatam, & fidei parum constantis, affirmas. Mihi autẽ, qui & absum propius ab ipsis rebus gestis, & accipio auditione quæ quotidie geruntur, non esse perdifficilem existimas, complecti litteris quæ sunt certissima. Quæ tibi vt non negauerim, (locis enim peruicinis subsisto, & quæ scribuntur aut narrantur non indiligenter attendo:) tamen, an deberam hæc eadem tibi scribere, & amicis (vt ais) petentibus impertire, eo maxime consilio, vt fiant publica: nõdum satis possum constituere. Non

enim es nescius, quantum habeat periculi, de potentium iniurijs querelam instituere, quorum ingenium, & consuetudo est, ne gemitum quidem miseris liberum, aut impunitum relinquere, sed ipsis etiam de lamentis (si qua fiant) vindictam sumere. Ne igitur noceam quibus optime volo, eorumq; referendo calamitates augeam, quibus prodesse vel vitæ meæ periculo cuperem: ancipiti profecto cogitatione discrucior, & quam in partem deflectam, non facile inuenio.

Propendeo tamen (fateor) in illud quod postulas, cum & iustum videatur, & rationibus à te positis, ab omni maleuolorum calumnia satis munitum. Quid enim, (inquis) an quę publice sunt gesta, priuatis litteris non liceat committere? aut si hoc ipsum in crimen vocatur: tua tamen culpa est, non alijs præstanda, tuum delictum, in alios non plectendum. Quæ tua ratio, ab ipsius naturæ sensu deducta, sustentat me non parum vacillantem, & non mediocriter voluntatem tibi satisfaciēdi corroborat. Hoc enim profecto, (nisi vehementer aberro) ab aduersariorum nostrorum expectandum est prudentia, (sunt enim secundum carnem non insipientes,) vt aliena peccata ab innocentibus non exigant: quamquam ego, mehercule, sic quæ-

que conabor scribere, vt nec ipsis etiã iudicibus, in officium boni viri scriben do peccem. Nihil enim odiose dicam, nihil maleuole, acerbe nihil: narrabo tantum quæ facta sunt, & si rei asperitas aliquando me in querelam impulerit, id citra cuiusquam fiet contumeliã.

Non enim arbitror nostrum esse, qui fidem Christi catholicã amplexamur, iniuriam iniuria compensare, aut malefactorum iniquitatem, orationis velle acerbitate castigare. Habemus enim propitium & potentem Dominũ, cuius arbitrio deferenda sunt omnia. *Ipsi cura est de nobis: ipse vindicabit, & ipse retribuet: ipse discernet causam nostram: de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso eruet nos: ipse, cum tempus acceperit, iustitias ipsas iudicabit*, quanto magis seruorum suorum persecutiones, molestias, & diuexationes? interim si affligimur, si proculcamur, si rapinas bonorum nostrorum patimur, si opprobrijs exponimur, si carceribus premimur, si vinculis stringimur, si fame, frigore, & inedia maceramur, si tormentis & cruciatibus subijcimur, si in cruces subleuamur, si mortis varijs generibus absumimur: (nam hæc omnia catholici in Anglia nostra sustinent:) & si, (quod adhuc magis ad dolorem facit) hæc eadem in medio nostrorum fratrum sustinemus, in au-

Catholicorum propria.

1. Petr. 5. Rom. 12. Psal. 42. Psal. 74.

ribus & oculis cæterorum Catholicorum qui in circuitu sunt, inspectantibus & negligentibus ipsis, & nostri ne quicquam commiserentibus, nec verbo quidem (cum possint) iuuantibus: tamen despondendus animus non est, nec salutaris anchora patientiæ dimittenda. *Non enim* (vt inquit ille) *meliores sumus quam patres nostri, qui sæpti sunt, distenti sunt, verbera & carceres experti sunt*, & addit Apostolus, quod à te maxime animaduerti volo. *Non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Non sunt discipuli supra magistrum: qui cum iniustitiam non fecisset, cum iniquis tamen deputatus est*, & multo his atrociora nostri causa pertulit. *Neque tamen os suum coram tondentibus*, immo nec tundentibus quidem, *aperuit.*

4. Reg. 19. Heb. 11. Luc. 6. 1. Petr. 2. Esa. 53. Luc. 22. Esa. 53.

Retineamus ergo nos hanc tam sanctæ tolerantiæ suitam possessionem, commendatam nobis à Saluatore nostro, & ab optimis maioribus integerrime cõseruatam. Permittamus aduersariis, illam omnem innatam vindicandi ferociam, qua magistratui & dominationi resistunt, qua seditiones & turbas excitant, qua tot viros principes, duces fortissimos, sacerdotes sanctissimos, ciuitates munitissimas, præclarissimas, atque nobilissimas respublicas fraude ferroque, hac nostra tempe

Hæreticorum peculiaria.

Rom 9. Ep. Iud.

ſtate, peremerunt. Vtantur illi humano brachio, confidant de aſtutia & iniquitate ſua, veſcantur ſcelere quantum volent: *Spes autem noſtra in Deo noſtro eſt, qui ſaluos facit ſperantes in ſe: adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, & qui nō obliniſcitur inopia & tribulationis noſtra.* Placuerit forſitan maieſtati ſuæ, caſtigandos nos tradere ob peccata noſtra, *quia honor regis iudicium diligit:* at certe nos proiicere non poteſt reuerentes ad ſe, *quia miſericors & miſerator eſt, et miſerationis eius non eſt numerus.* Quid poterat hoc ipſo expreſsius ab eo dici?

Hier. 17.
1. Cor. 3.

Eph. 4.
Pſal. 61. 26.
118.

Pſal. 93.

Pſal. 98.

Pſal. 49. 77.
140. 144.

Si dereliquerint (de Dauide loquitur) *filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint:*

Pſal. 88.

Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint:

Viſitabo in virga iniquitates eorū, & in verberibus peccata eorum:

Miſericordiam autem meam non diſpergā ab eo, neq; nocebo in veritate mea:

Non profanabo teſtamentum meū, & qua procedunt de labiis meis, non faciam irrita:

Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit.

Hæc eſt promiſsio, hæc firma Dei teſtatio, Dauidico ſemini, hoc eſt, Eccleſię Chriſti catholicæ, de æterna du-

ratione, iuramento facta, sanguine cõfirmata, plurimorum sæculorum experientia stabilita. Non est ergo nobis dubitandum, sed sustinendum: *etenim vniuersi qui sustinent Dominum non confundentur.*

Psal. 24.

Abac. 2. *Et; si moram fecerit, expectemus illũ, quia veniens veniet, et nõ tardabit.*

Ad hanc autem rerum aduersarum tolerantiam, dum nos inuicem hoc in exilio non raro cohortamur: nihil solemus nobis ipsi libentius, vel possumus certe efficatius, ad consolationem & imitationem proponere, quàm fratrũ nostrorum in Anglia, perpessiones, tanto nostris maiores & acerbiores, quanto magis afficiunt quæ corpore sentiuntur, quàm quæ rebus externis inferuntur vulnera. Nos enim qui manibus elapsi persequentium, alienis in terris vitam exulem degimus, etsi permultis sane incommodis, atque adeo fere infinitis exagitemur, quòd patria, quòd liberis, quòd amicis careamus: quòd bonorum nostrorum direptiones, & possessionum omnium auersiones sustinuerimus: tamen, quæ duæ res in homine sunt maximæ, earum vtimur potestate libera, id est, animi & corporis, quarum neutra Catholicis in Anglia conceditur.

Dura Catholicorũ

Nam præter illa grauamina, quæ rebus eorum temporalibus imponuntur,

corpo-

corpora etiam sexcentis diuexationibus patent, carcerum, vinculorum, atque etiam tormentorum. Animis vero nihil liberum, nihil solutũ, nihil integrum relinquitur: non vox, non religio, non internus de Deo rebusque diuinis sensus, aut cogitatio. Loquendum enim tibi est cum alijs: affirmandum iuramento quod cæteri affirmant: etiamsi animo longe aliter opineris, etiamsi conscientia contrarium plane senseris. in Anglia conditio.

Quæ seruitus & illiberalis animorũ pressura, in rebus presertim ad Deum pertinentibus, cum sit omnium malorum, quæ in hominem possunt exerceri, grauissimum atque acerbissimum: facit vt nostra conditio, licet cæteris in rebus afflictissima, domesticorum tamen statu, sit multo tolerabilior. Quis enim omnibus incommodis, & ipsa etiã morte non duxerit acerbius, torqueri conscientia, prohiberi libero religionis exercitio, impelli ad opinionum nouarum professionem, quas animus auersatur, respuit, & abhorret? More autem suo, patrumq; suorum, & totius fere orbis reliqui, si quis Deum colat, etiamsi clanculũ, etiãsi tecte, etiãsi persecreto fecerit: traduci tamen tanquã læsæ maiestatis reum, tanquam hostem & proditorem totius reipublicæ, tanquam impium, & flagitiosum hominẽ,

& vsura communis auræ, vitæq; , indignum ? Quòd autem nunc (Gerarde) sic se res habeant in patria nostra , ex subiecta liquido narratione constabit .

Leges Anglicanæ in Catholicos latæ .

Ac primum quidem vt res facilius intelligatur, & reliquorum quæ dicenda sunt , manifestior existat coniectura: non erit forsan ab optima methodo alienum, si leges publicas proposuero, quas Anglia , nata & instituta à catholicis ad Christum, in pernitiem Catholicorum, ob fidem christianam edidit , ex his enim non difficulter existimari poterit, quantum patiantur à priuatorum hominum libidine, odio, atq; nequitia, cum publicarũ legum authoritas, tantum in illos potestatis , cuiuis fere calumniatori permittat.

Duo genera Legum in Catholicos.

Vt ergo de legibus dicam, duo sunt earum genera , quæ diuersis tẽporibus in Catholicos sunt latæ, aliæ quæ pecunias, possessiones, cæteraque bona tam fortunæ quam corporis attingunt, quæ pecuniariæ (opinor) dici possint . Aliæ quæ sanguinariæ potius sunt. quia mortem vniuersis offendentibus infligunt. Atque ad hanc ipsam legum partitionem, sequentis orationis seriem ac comodabo.

Leges pecuniariæ .

Inter leges pecuniarias, illa cum primis numeranda venit, quæ in postremis est edita, in eorum, nimirum , punitionem, qui conscientiam secuti, protestã-

tium

tium ecclesias, frequentare detrectãt. Hoc enim perurgent aduersarij, vt licet catholici alterius sint religionis, licet Caluinismum animis abhorreant, licet, ministrorũ preces & cõuentus detestentur, & eorũ sacra pro nefandissimis habeant: tamẽ accedant, assistant, præsentes se exhibeãt, etiam reluctãte, & reclamante & auersante cõsciẽtia. Et quia plurimi recusant tam atrociter in Deum, & conscientias peccare suas: ideo lex ista seueriſsima, in homines istos scrupulosos facta est, vt quicunq; ad ecclesias protestantium venire recusauerint, officij diuini (vt loquuntur) præstandi aut auscultandi causa, si ætatem annorum sedecim excesserint, soluent quoquo mense suæ absentiæ, libras anglicas viginti, hoc est aureos, 66. qui autẽ soluendo non sunt, carceribus omnino detineantur, donec soluendi facultatem habeant. Leges reliquæ hoc ordine sequuntur.

Prima lex in recusantes ecclesias protestantium.

Qui conuictus fuerit audiuisse missam, etiamsi id secreto factum fuerit, patietur carceres per integrum annum, & tam diu postea, quo vsque persoluat 212. aureos.

2. De missa.

Sacerdos vero qui sacrum fecerit, non exibit carcere, post expletum annum, nisi solutis aureis 424. atque hoc toties quoties fuerit in hoc genere abeo peccatum.

Omnis

4. De abiuratione.

Omnis vir ecclesiasticus, qui non publicâ fecerit religionis Romanæ detestationem, & auctoritatem Pontificis Romani palam nō abjurauerit: amittet omnia beneficia, omnemq; dignitatem quamcunque ecclesiasticam.

5. Iuramēta in academijs.

Nullus scholaris, aut litterarum studiosus habere poterit locū in collegijs academicis, aut ad vllum gradum litterariū ascendere, nisi in ingressu ad illud collegium, & in susceptione cuiusque gradus, eiusdem Pontificis auctoritatem in causis ecclesiasticis abiuret.

5. De iuramētis magistratuū.

Nemo magistratum publicum gerat, aut vllum officiū in republica retineat, nisi hanc ipsam summi Pontificis abiurationem, publice præstiterit.

6. De pupillis.

Pupillus ad perfectam ætatem perueniens, hæriditatem suam adire non poterit, nec eiusdem vllis commodis gaudere, nisi prius emiserit idem publicum iuramentum.

7. De comitialibus.

Quicunque infra dignitatem Baronis positi, vocati fuerint (vt non raro solent) ad comitia publica, quæ parlamentum appellantur (in quo summa libertas suffragiorum solebat esse) amittēt omne ius suffragiorū, nisi velint publice hanc abiurationē Pōtificis pstare.

8. De recusantib' iuramētum.

Si cuiquam infra conditionē Baronis constituto, hæc abiuratio bis oblata fuerit, & ipse hanc eandem secundo recusauerit: amittet omnia bona, &

possess-

possessiones suas, & corpore condemnabitur ad perpetuos carceres.

9. De negatibus reginam supremum esse caput.

Qui negauerit Reginam esse supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ in causis ecclesiasticis: eadem pœna plectetur amissionis bonorum omnium & incarcerationis perpetuæ.

10. De recipientibus res benedictas à Papa.

Quicunq; Agnos Dei, (vt vocant) rosaria, grana benedicta, medalias, crucifixos, aut aliam rem quamcunque benedictam à Summo Pontifice, & in Angliam adductam, receperit, aut retinuerit: eandē pœnā sustinebit, amissionis bonorū omniū & incarcerationis ppetuę.

11. De retinentibus pedagogos Catholicos.

Si quis pędagogum domo retinuerit ad instruendos pueros, qui ecclesias protestantium non frequentet, aut ab episcopo Caluiniano approbatus non fuerit, perdet ob eā causam 33. aureos singulis mēsibus, quousq; illū eiecerit.

12. De celitibus reconciliatores vel reconciliatos.

Si quis sciat aliquē, qui alterum reconciliauerit vnitati & communioni Ecclesiæ Romanę, & si hunc recōciliatorem, aut illum alterum reconciliatum quouismodo iuuerit, aut celauerit, ita vt infra spacium 20. dierum proximę sequentium, magistratui publico vtcumque non prodiderit: amittet omnia bona sua tā mobilia quàm īmobilia, omnesque possessiones dū viuit, & de corpore suo statuet ad arbitriū reginę.

13. De celitibus procuratores.

Qui nouerit aliquem procurasse alterius reconciliationem ad fidem Roma-

nam,

nam, quamuis ipse nec reconciliauerit nec reconciliatus sit, & si hunc procuratorem quouismodo iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit magistratui, vt supra, eiusdem pœnæ condemnabitur.

84 De celi tibus cõsu lores.

Qui nouerit aliquem consilium dedisse alicui, vt reconcilietur romanæ fidei, licet ipse hoc omnino non procurauerit, & si hunc consultorem quouismodo iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt supra: eidem pœnæ fiet obnoxius.

85. De celi tibus obedientes Papæ.

Si quis sciat aliquē persuasisse, procurasse aut consuluisse alicui, vt obediat Romano Pontifici in causis ecclesiasticis, & si hunc tamē iuuerit, celauerit, aut non prodiderit, vt supra: eadem pœna plectetur.

86. De celi tibus promittentes obedientiam.

Qui cognouerit aliquem permisisse sibi persuaderi, vt obediat in ecclesiasticis Romano Pontifici, vel promisisse (pro futuro tempore) quamcunq; ei obedientiā: & si hunc quouis modo iuuerit aut celauerit, aut infra viginti dies non prodiderit, ut supra: eandem pœnam amissionis bonorum & possessionum omnium, & incarcerationis subibit.

87. De celi tib⁹ absoluentes.

Qui sciat sacerdotem aliquem absolutionem alteri dedisse, & hunc iuuerit aut celauerit, aut satis tempore non prodiderit, vt supra: ad eandem pœnā

con-

condemnabitur.

Si quis nouerit sacerdotem habere authoritatem absoluendi, quamuis eã nõ exercuerit, aut aliquem absoluerit: & si hunc iuuerit, aut celauerit, aut nõ prodiderit, ut supra: eidem pœnę subiacebit.

18. De cælibe authoritatem habentes absoluendi.

Qui sciuerit aliquem præseferre, authoritatem habere absoluendi, etiamsi reuera non habeat, & hunc iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt supra: eadem pœna inuoluetur.

19. De cælibus præseferentes absoluendi authoritatem.

Si quis sciat aliquem esse ab altero absolutum, siue volens petierit illam absolutionem, siue sciens solum permiserit se absolui non petentem: & hũc vllo modo adiuuauerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt supra: eiusdem pœnæ reus existimabitur.

20. De cælibus absolutos.

Qui nouerit aliquem dissuasisse alteri religionem quæ nunc est publica in Anglia, (hoc est Caluinismum) ea intentione, vt eum trahat ad obediendum Pontifici, & Romanæ religioni: vel si sciuerit aliquem procurasse, vel suasisse, vt alteri sic dissuadeatur: & si hunc quouismodo iuuauerit, celauerit, vel non prodiderit magistratui infra spacium 20. dierum vt supra: eandem pœnam toties iam descriptam patietur, nimirum, vt amittat omnia quæ mortalibus hæc vita dare possit commoda.

21. De cælibus dissuasores religiõis Caluinianę.

Atque hęc fere sunt, quę de legibus

pecu-

pecuniarijs mihi veniunt in mentem, ex quibus solis, si nullę capitales essent, coniectura facilis fieri possit, quàm ardua sit in Anglia Catholicorum conditio, quibus tot leges tàquam laqui, ad perditionem sunt positæ, terrore plenæ, periculisque plenissimę. Quis trã quillo animo esse possit, cum de bonis vitæ necessarijs, nequeat vel ad horam securitatem sibi promittere, circunseptus tot minitantibus legibus, quarum pericula vitare non potest, nisi impius esse velit? quantum hic loci calumnijs conceditur? quantæ vires subministrantur inuidiæ? quantæ occasiones iniquitati porriguntur? Si quis iuuerit aut celauerit reconciliantem, recõciliatum, absoluentem, absolutum, procurantem, consulentem, dissuadentem, aut huiusmodi: reus est (inquit lex), ingentis flagitij, puniendus amissione bonorum omnium, atq; etiam libertatis. Nihil dico de re: cõsidera solum, quantum pateant Catholici his legibus iniustitiæ. Si quis aliquem ex prędictis, homo forsan vel inscius reciperet, & alter scientem fecisse argueret: qua se hic ratione defenderet, aut quo patrocinio innocentiam tueretur suam? Si quis alicui dissuaderet Caluinissimum, nulla prorsus facta Romani Pontificis mentione: quo modo constabit, ipsum læsæ maiestatis reum non esse, hoc est,

Ex lege 11. Præcedẽti.

non

non ea intentione dissuasisse, vt alter, reiectis Caluini placitis, Romano se Pō tifici, & ecclesiæ submittat? Immo (inquit) cultari facile periculum posset, si ille aperte Puritanismū, Anabaptismū, Arianismum, aut etiam atheismum persuaderet. Credo equidē: nec sane abhorret à probabili coniectura, particulam illam in istarū similumq; hæreseon patrocinium, fuisse à scriptore tam diligenter appositam. O miserā conditionem nostrorum temporum.

Securius I Angliā cuiuis hæresi quàm fidei Catholicæ fauere.

Atque hæc de calumnia: quid vero de legū istarū iniquitate dicendū esset, qua pater filium, maritus vxorem, frater fratrem, pœnitens sacerdotē, seruus dominum, ob religionem Catholicam, qua nati, qua educati, qua instituti sumus, quamq; cęteri principes amplexātur & defendunt, accusare in Anglia, tanquam de crimine scelerato tenetur, quorum profecto simile nulla retro trā acta tempora, nulla patrum repetita memoria, nulla priorum sęculorum antiquitas viderunt? Solum hæ sunt nostrorum temporum inauditæ vertigines; locorum nouitates, humanę mētis flexibiles volūtates, carnis, & sanguinis vanissimæ cogitationes, quibus homines, incommutabilem Christi veritatē, commutare suis placitis, pro ratione suorum cōmodorum, attentant.

Iniquitas legum Anglicarū in Catholicos.

Sed videamus adhuc seueriores leges

Leges capi

tales in Catholicos Anglos.

hoc est, capitales, quas supra sanguinarias ea ratione appellauerim, quod sanguini insidientur, vitamque ipsam oppugnent. In quibus illud primum animaduersione non est indignum, omnes de sola religione esse, & tamen nō solum pœnam capitis inferre, verum etiam læsæ maiestatis, quæ est omnium grauissima & odiosissima, quippe quæ flagitiosissimo debetur sceleri, quod est, proditionis. Hoc autē ideo ab aduersarijs nostris est factum, ne mors Catholicorum, martyrium videretur, sed infamia potius scelerati flagitij, apud vulgus ignarum traduceretur. Etiam vt principi facilius persuaderetur, religionē Catholicam, sceptro suo infestā esse, & regnandi securitati male securā. Quo semel confirmato principio, non erat difficile quas vellent in orthodoxos, leges elicere, cū tamen illa abhorreret ingenio ab huiusmodi violentia & sanguinis effusione. sed nūc ad leges ipsas accedo, quarū prima sic exoritur.

2. Confitētes Pontificis authoritatem.

Quicunque dixerit, scripserit, affirmauerit, vel vllo modo etiā per cifras significauerit, vel etiam rogatus, confessus fuerit, Pontificem Romanum esse caput ecclesiæ Anglicanę, vel vllam habere ibi in causis ecclesiasticis authoritatem: reus lęsæ maiestatis existimabitur, & eadem prorsus pœna plectetur qua reipublicę proditores plecti solēt.

Qui

Qui ad Pontificem Romanum vlla de causa appellauerit, & bullas aut alia instrumenta abillo obtinuerit, & in Angliam inuexerit: eidem læsę maiestatis pœnę subiacebit.

2. Appellantes ad Pontificem.

Si quis Agnos dei (vt vocant,) rosaria, grana benedicta, medalias, crucifixos, aut quamcúque rem aliam à Pontifice Romano benedictam, in Angliam importauerit: criminis læsę maiestatis reus erit.

3 Importantes res benedictas a Papa.

Cuicumq; infra dignitatem Baronis constituto, ter oblatum fuerit iuramentum, seu abiuratio contra Pontificis Romani authoritatem, & pro suprema potestate Reginę, in causis ecclesiasticis, & si ille tertio iurare detrectet: eandem pœnam læsæ maiestatis sustinebit.

4. Recusantes iurare.

Qui vllo modo dixerit, scripserit, significauerit, vel rogatus confessus fuerit, Reginam Angliæ, hæreticá esse, aut schismaticam: eidem pœnæ læsæ maiestatis erit obnoxius.

5. Tenentes reginá hæreticá aut schismaticam.

Si quis aliquem ecclesiæ Romanæ vnitati & communioni reconciliauerit, eandem pœnâ læsæ maiestatis patietur.

6. Reconciliantes.

Quicunque fuerit ab aliquo, sciens & volens, ad eandem vnitatem & cómunionem reconciliatus: eandem pœnam sustinebit.

7 Recon[illegible]

Qui procurauit alicuius reconciliationem ad illam vnitatem & commu-

8. Procu[illegible]

nionem:

nionem: eiusdem pœnæ reus erit.

9. Consilium dantes ad reconciliationem.

Qui tantum consuluerit alicui, vt ad illam vnitatem & cõmunionem reconcilietur, etiamsi non procuret, eadem nihilominus plectetur pœna.

10. Persuadentes obedire Papæ.

Si quis alicui persuaserit, vt Pontifici Romano, in causis ecclesiasticis obediat: eodem crimine læsæ maiestatis condemnabitur.

11. Permittentes sibi persuaderi.

Si quis permiserit sibi persuaderi, vt sic obediat: eiusdem criminis reus censebitur.

12. Procurãtes & cõsulentes persuaderi.

Si quis procurauerit vel consilium dederit vt alicui sic persuadeatur, eandem pœnam læsæ maiestatis subibit.

13. Promittentes obedientiam.

Si quis promiserit (pro futuro tempore) se aliquam obedientiam Romano Põtifici in causis ecclesiasticis præstiturum: eandem læsæ maiestatis pœnam sustinebit.

14. Absoluentes.

Si sacerdos aliquem ex Reginæ subditis absoluerit: crimen læsæ maiestatis censebitur.

15. Habentes auctoritatẽ absoluendi.

Si quis habeat auctoritatem absoluendi in Anglia, licet nullum actu absoluerit: incurrit tamen læsæ maiestatis crimen.

16. Præsesentes auctoritatẽ absoluẽdi.

Si quis præseferat habere huiusmodi auctoritatem absoluendi, etiamsi nõ habeat: læsæ maiestatis reus existimabitur.

17. Permittẽtes se absolui.

Si quis sciens ab altero absoluatur, siue ipse petierit absolutionem illam,

siue

sine absolui se permiserit non petentem: eandem pœnam læsæ maiestatis sustinebit.

Si quis procurauerit vt aliquis absoluatur: eidem pęnæ fiet obnoxius. 18. Procurãtes absolui.

Si quis cõsilium dederit, vt quis absoluatur, licet non procurauerit: eandẽ pœnam sustinebit. 19. Consulentes absolui.

Si quis vel procurauerit vel consuluerit, vt quis absoluat, licet non vt aliquis in particulari absoluatur: eidẽ pœnæ subiacebit. 20 Procurantes & consulentes absoluere.

Si quis dissuaserit alicui religionem illam, quæ nunc publice in Anglia tenetur, vel procurauerit vt dissuadeatur, ea intentione, vt ille cui dissuadetur, ad obedientiam Romani Pontificis, & Romanæ fidei trahatur: reus erit etiam criminis læsæ maiestatis, & eadẽ pœna plectetur, quæ illi crimini debetur, quę quidem pœna huiusmodi est. 21. Dissuadentes religionẽ Caluinianam.

Primum vt condemnatus, terraque protractus ad locum supplicij, in maiorem cruciatum semistranguletur laqueo: deinde, vt redeunti ad se, amputentur virilia, & igne comburantur: tunc, vt cultro aperiatur uenter, & erutis ilijs, etiam cor, & viscera spiranti adhuc, & reluctanti, manu carnificis euellantur, & in ignem iuxta positum proijciantur: deniq; vt elixus & in partes dissecatus, ad varias ciuitatis portas suspendatur. Bona autem sua & posses- Pęna eorũ qui cõdemnantur læsæ maiestatis, ob religionẽ Catholicam.

siones omnes ad fiscum transeant, nec eorum quicquam ad vxorem, liberos, aut consanguineos descendat, sed vt ipsi preterea, huius vnius ob causam, eterna notentur ignominia, & omnis mortui posteritas degradet sanguine.

Iniquitas mini strorū Anglorum.

Sunt ne hæc seuera satis? sunt ne satis aspera (mi Gerarde) in auitæ, paternæq; religionis professores? & tamen ministri nostri, nouatores isti nostri, euāgelicæ doctrinæ buccinatores nostri, et christianæ (si Deo placet) mansuetudinis imitatores, clamant in dies è suggestis, libris scriptis peringeminant, sermone quotidiano magistratus, & principis auribus inculcant: nimiam esse lenitatem, periculosam esse clemētiam, culpandam, & non ferendam totius regiminis in catholicos tolerantiam. Sed vide præcipitatam hominum inuidorum & furiosorum amentiam.

Est ne vllum scelus aut flagitium, quod acerbioribus possit coerceri pœnis, quam eis quas descripsi? est ne vllū genus facinorosorum hominum, quod pluribus possit sepiri legibus, includi pœnis, patere periculis, exponi damnis, quam Catholici in Anglia his legibus exponuntur? & quid tandem deliquerunt isti? aut quodnam crimen est fides auorum & patrum nostrorū? Aduersarii aliquando cōmunionis nostræ, nūc arrepta hac Caluini, Lutheri pro-

iecta,

ſella, noſtraq; contempta, dominos ſe noſtros conſtituerunt, & ſedibus expulſos, omni nos dignitate & loco mouerunt. Non querimur: fruantur liberrimè. At quid vlterius progrediuntur miſelli? cur animas etiam noſtras expetunt? quare ſæuiunt in ſanguinem? cur non exaturantur niſi morte, vel extrema calamitate noſtra? Si de fide ſolum decertatur, ſunt aliæ ſectulæ non minus Caluino, quàm nos inimicæ: & tamen vtuntur perbenèuolis his miniſtris. Si illud autè ſubobſcurè la teat, & ſi Veres legem repetundarú timeat: liberamus eos hac moleſtia, ſecuritatem facimus, cedimus iure noſtro. Tantum petimus, ne exitio nobis ſit, & odij cauſa ſempiterni, quod aliquando patria fuerimus potiti: niſi.n. hoc ipſum fuiſſet, ipſi iam nullá rempublicá haberét.

Atque hæc de legibus: quarum prætextu quantum in nos poſſunt aduerſarij, tu vides: quantum autem volunt, res ipſa demonſtrat, cum hac aſperitate minimè contenti, duriora, & acerbiora quotidie depoſcunt. Et tamen equidé non arbitror, tam durum eſſe poſſe, aut ferreum cuiuſquam hominis chriſtiani pectus, (ſi humanitatis ſenſum cum fide non exuiſſet) quin ijs, quæ noſtri patiuntur, commoueatur.

Conditio Catholicorum in Anglia.

Neq; enim fingi poteſt quicquam, in vllo ferè genere calamitatis luctuo-

fum, quod indies non perferant: neq; cogitari aliquid, in vlla conditione hominum, acerbum, quod indies non fustineant. Veriſime poſſunt cum Apoſtolo dicere: 2. Cor. 6. *in tribulationibus, in neceſſitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus.* Et cum eodē Chriſti milite alio in loco 2. Cor. 11. *Periculis in ciuitate periculis in ſolitudine, periculis in mari periculis in falſis fratribus, in labore & aerumna* Immo illud ēt licebit addere quod addit Apoſtolus: *in mortibus frequēter.* Deniq; neq; illud ab eis alienū eſt. Heb. 11. *Ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, diſtenti ſunt, ſecti ſunt, tētati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Poſtremo 1. Cor. 4. & illud proprijſſime cōuenit: *ſpectaculū facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Maledicimur & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.*

Vt autem hæc omnia manifeſtius appercant, non erit forſan alienum à propoſito, ſi particulatim adhuc magis ſingula quæque oratione perluſtrauero.

Extremū ſupplicium Catholicorum.

Ac primum de ſupplicio quidem extremo, nemini opinor eſſe poſſe dubium, quot, & quales viri acerbiſſimæ morti propter religionem ſint traditi, hoc eſt, ſtrāgulati, exēterati, diſſecati,

clixi,

elixi, & per aera dispersi: quibus etsi (ad maiorē contumeliā) maiestatis crimen, aduersarij affinxerint: tamē res in manifesto est, nec ipsis ēt diffitentibus, solam religionē in causa fuisse necis.

Non loquor hic de illa sanctissima multitudine præsulum, doctorum, sacerdotum, aliorumq; Christi confessorum, quos vel carcer squalore confecerit, vel mœrore aut inedia consumpserit, quorum causas solius Christi tribunali deferimus: tantum de illis sermonem facio, qui publice & vniuersorum in oculis, veritati testimonium suo sanguine dederunt. Qui præter ipsos supplicij cruciatus, & illam communem contumeliam, qua non vt Catholici, sed vt reipublicæ proditores, (opinione vulgi) moriuntur habent etiam (vt plurimum) hoc honoris & meriti, post mortē adiectū, vt disseminatis libellis infamentur, proiecta in mores aut doctrinā, insigni aliqua emētia calumnia.

Infamatio post mortem.

Sic nupperrime cum Euerardum Hansiū pium & zelosum Christi presbyterum, patibulo publico suspendissent, veriti ne quisquam innocentis forsan martyrio cōmoueretur, nescio quæ errorum & paradoxorum mōstra, duobus cōtrarijs impressi libris, & alterum altero impugnantibus, homini mortuo atribuerint. Quale est illud: *Pontifices Romanum non posse peccare*: cū Hansius,

Paradoxa Hansio falso attributa.

errare solum non posse dixerat, expresse de fidei doctrina vniuersæ Ecclesiæ proponenda loquens. Item illud: *nullum principem (excepto Romano Pontifice) Primatum vllum, suis in Dominiis tenere.* Cum ille solum de primatu ecclesiæ Catholicæ, in causis Ecclesiasticis affirmaret. Item illud: *nullam proditionem contra Reginam Angliæ, peccatū esse.* Cum ille iam morti proximus, iterum atq; iterum repetitis verbis apud turbam assereret, se non de omni proditione, sed de illa fola locutū, ob quā immerito moriebatur, & quam aduersarii iniquissime proditionem appellabant, cū vere non esset aliud quā fidei Catholicæ necessaria cōfessio. Iam enim ex superiori legum catalogo manifestum est, quam multa nostræ fidei capita ad læsæ maiestatis crimē attraxerint.

Fidei capita facta læsæ maiestatis crimina.

Hoc ergo aduersarij nostri, ad antiquorum persecutorum improbitatem adiungunt, vt ne causam quidem ipsam martyrii (quam tamen illi fatebantur) patefaciant. Quanquā sane, huius etiā iniquitatis nonnulla semina, primis illis temporibus à cacodæmone sint iacta, cum Paulus tanquam, *Pestifer & seditiosus*, Christus autem Saluator, *Vt plebem subuerteret, & Cæsari prohibens tributa*, traducti sunt iniustissima calumnia.

Act. 24.

Luc. 24.

Magna scintilla.

Nunc vero quantis opprobriis, qui-

bus

bus vociferationibus, quot irrisionibus quam amaris salibus, quàm acerbis & virulentis conuiciis, quo strepitu fremétium, atq; maledicentium, hi nostri martyres strangulentur, & inspectantibus omnibus dilanientur: non est, opinor, operæpretium describere: res atrox est aspectu, & narratu truculenta. O miseros nos, qui in hæc tpa sumus delapsi, vt in christianos ob fidé christianá exerceri tantá rabié à christianis cernamus.

Hæc de supplicijs: dicamus pauca, de præcedentibus ante mortem contumelijs: sed res est infinita, paucis nó potest explicari: nec enim ipsis Mauris, Getulis, Tartaris, Saracenis, Turcis, aut quibuscunque Christi coniuratis hostibus, tam esse ludibrio Catholicos existimo, quá sunt istis nouis euangelicis, contemptus & omnis contumeliæ pleniſſimis. Si in sacro faciédo sacerdotem offendunt, incredibile est, quam impie & cótumelioſe se gerant. Sacerdoté ipsum prius domi male mulctatú, educunt in publicum, & eisdem prorsus vestibus indutú, quibus ad altare steterat, per plateas, & villas circumagitát, inspectantibus omnibus, irridentibus vniuersis, nonnullis autem inspuentibus, plurimis vero conuiciantibus, & singulis fere Christi seruo insuriam aliquam particularem inferentibus. Inde conduct in carcerem, ferris ligant, compedibus

Contumeliæ quas patiuntur Catholici.

onerant: si videtur, torturæ subijciunt: sin minus, verbere conuiciorũ omnium diuexatum protrahunt ad iudicium, & ibi simul cum omnibus ad Missam eius præsentibus, condemnant ad carceres, & ad solutionẽ illarum pecuniarũ, quas supra soluendas ob hoc auditæ Missæ flagitium demonstraui.

Postea vero si commodum quouismodo suis rebus existimant, hominem perimere: interrogant de quibusdam præcedentium legum capitaliũ articulis, quæstiones ponunt captiosas & subtiles, vrgent vt directe, & perspicue respondeat. Quid plura? facile eliciũt quod rei sufficiat: *In promptu enim baculus, quo cedas canem.*

De carceribus narratio.

Atq; hoc loco quoniam de carceribus facta est mentio, & tu id litteris nominatim requiris: adijcia etiam nonnulla de carceribus. Quorũ illud erit primum, omnes esse refertissimos catholicis, ita vt vix sit latronibus locus. Multi recenter exedificati nõ sufficiunt: turris Londinensis, proditoribus assueta, nunc abundat sacerdotibus: immo Briduelo nostro, meretricibus proprio, & scortis infami, non deest sua pars. Nuper enim virgo quædam generosa & tenera, ob fidei confessionem paulo constantiorem, fuit in eum locum à Superintendente Londinensi protrusa.

Hæc domina Tomsonia dicebatur.

De internis incluſorum neceſſitati-

bus

bus & anguſtijs, nihil audeo affirmare, ne afflictis cõcitem querelæ meæ, maiorem afflictionem. Illud tamen commune eſt, prohiberi amicorum aditu, excludi ſermonis, & litterarum cõmercio, aduentantium fieri obſeruationem, ne quis illis poſſit, aut eleemoſynas largiri, aut alia pietatis opera, ſine periculo præſtare. Narrátur autem & duriora multo, maxime inergaſtulis Eboracẽſi, & Hultonenſi, circa victus rationẽ. Sed quia de cuſtodum peculiari quadã proteruia proficiſci illa poſſunt: non attingam his litteris tãquam communia.

De carcere Lãſonenſi.

Illud tamen de Lanſonenſi carcere Cornubienſis prouinciæ, & certum eſt, & indignum. Cum enim ſex, opinor, aut octo, in eandem ſpelũcam compingeretur, licet perhoneſtæ conditionis eſſent, magnaque ex parte, generoſis e familijs: cibus tamen nec dabatur, nec permittebatur niſi putidus, & oſtiatim emendicatus, nec vſus aquæ præterquam corruptæ. Neceſſus vero non alius ad corporum neceſſitates, quam illa ipſa, in qua diſcumbebant, area. Sed illud ex omnibus caput eſt: quod cum iſti tandem de hac inhumana fæuitia cæpiſſent queri: minatus eſt vlterius ergaſtularius, ad equorum præſepia colligatos, ſe inſtar iumentorum deinceps pauiturũ. Denique tamen, amicorum aſſidui-

Mira inhumanitas.

tate & industria factum est, vt ab hoc carcere ad Londinensem, milliaribus plus minus ducentis, custodia publica transmitterentur. Cuius quidem peregrinationis, hæc erat ceremonia.

Mod' quo ducuntur Catholici captiui in Anglia.

Imponebantur equis cum macris, tum miseris: sine freno, sine calcare, cæteroue apparatu equestri: equi longa serie alter ad caudã alterius subnectebantur. Equitantibus, pedes sub equorum pectore, brachia à tergo reuinciebantur. Cum ad vrbes, & oppida appropinquabatur, erat qui precurreret, renũciaturus incolis, aduentare papistas hostes Euangelii, & inimicos reipublicæ. Qua voce populus excitatus, & gregatim ædibus effusus in plateas, excipiebant aduentantes quibus poterant contumelijs.

Simili plane pompa, ad opprobrium & omne genus ludibrij composita, duxerunt nuper per ciuitatem Londinensem duodecim viros orthodoxæ fidei, quorum erant quinque presbyteri, reliqui conditionis bonæ & fortunæ. Horum illud erat crimen, quod in eadem domo cum Edmundo Campiano, Societatis Iesu, viro doctissimo, & innocentissimo, orantes & sacra Catholica facientes, sint inuenti. Cui tanquam seditioso, ob æquissimam suæ fidei ministris oblatam disputando defensionem, aduersarij volebant infamiam concita-

Edmũdus Cãpianus Societatis Iesu I triũpho duct'.

re,

re, in eumq; finem, spaciosam chartam maiusculis litteris odiosissime descriptam, in illo triumpho gestare capite compulerunt. Quod ille non aliter tulisse dicitur, quam Christus suæ crucis inscriptionem pertulit, pacate, modestissime, & animo læto, vultuq; sereno.

Tandem cum peracta tragœdia in arcem Londinensem peruenissent, sicut reliquis antea Dei seruis, maxime vero sacerdotibus fecerant: ita nunc Campiano cruciatus, & tormenta crudelissima subiecerũt, quibus elicere volebãt, quibus in locis commoratus fuisset, quorum in ædibus hospitio receptus, quorum beneficio, & liberalitate sustẽtatus, ad quos diuertisset, apud quos sacra, & diuina peregisset, quibus consilia sua communicasset, quorum opera, & industria fuisset vsus, & vt verbo dicam, quinam per Angliam catholicæ fauerent religioni, & quinam animis Caluinismo repugnarent. O grandia piacula, de quorum vel sola suspitione, homines liberi exerceantur tam exquisita quæstione.

Tormenta quę Catholicis dãtur in turri Lõdinensi.

Causæ leues torturæ.

Quando hoc vspiam factitatũ prius est? In qua vnquam Scythia, vel relatu auditum, vt homines ingenui, literati, liberaliter instituti, sacris functionibus presbyterij dicati, more seruorum in catasta distendãtur, doloribus diris & cruciatibus distorqueantur, ab-

solam conscientiam religionis auitæ, nisi ad pœnam velint prodere suæ fidei participes, quod iure gentiũ, & naturæ, officio, & communi honestate, omnique religione prohibentur facere? Est ne hæc tortura iustissima causa? est ne hęc satis efficax ad quæstionem ratio? præsertim tam immanem, tam crudelem, tam seruilem de liberis? hoc ne vnquam egerunt orthodoxi vel in perditissimos, aut in peruersissimos hæreticos?

Hæresis in fortio dissimulatio.

Certo si nihil aliud esset, quod virum oculatũ, & attétum de fraude hæresis admoneret, & de latente sub hypocrisi perditissima nequitia: Si opinionum nouitas, opinantium contrarietas, pronunciatorum inconstantia, viuendi licentia, nihil quoquam proloquerétur: tamen, hoc vnum satis vniuersam dissimulationis machinam retegeret, quòd ipsi, qui tam recenter humanitatem omnem professi sunt, & qui ecclesiam Christi Catholicam, ob æquissimam disciplinam, legibus iustissimis & antiquissimis descriptam, tam atrociter insectati sunt, nunc tantam sæuitiam in rebus suo pondere leuissimis adhibeãt, quãtam vix barbari, in atrocissimis exercent.

Pareat dolori meo, si cui asperius hoc videbor dixisse. Irascor enim, nõ tã hominibus qui ista perpetrarũt, quibus

veniam

ueni à Deo meis precibus deposco, quã hæresi, quæ viros natura non crudeles, immo satis ad lenitatem, & mansuetudinem propensos, in tantam abegit, non dicã feritatẽ, ne offendã, sed asperam profecto iracundiã in suos, vt nec patriæ propinquitate, nec integritate vitę, nec elegãtia litterarum, nec ętatis flore, nec libertatis iure, nec sacerdotij priuilegio, nec verborũ deprecatione, nec lachrymarũ copia, in viris innocẽtibus commouerentur, nec ab inferẽda vi extrema & immani retardarentur Deũ optimum, Maximum, & potentissimum obtestor, vt hoc ingens peccatũ illis non imputetur, sed potius inueniãt in die Domini misericordiã qui in die suo, hoc est, humano, misericordiã nullam suis fratribus fecerunt. Eſa. 13. 1 Cor. 4.

Mitto iam cætera, quæ hac in arce Londinensi perpetrantur, & tolerãtur, quæ licet plurima, & grauissima sane sint, minus tamen nobis constare possunt, propter arctissimam custodiam, qua sermo ab externis, & omnis afflictorũ eiulatio intercluditur. Immo nõ est mediocris aduersariorum in eo contentio, vt quæ clam inferuntur, non innotescant foris plagæ: sed tenebris potius & caligine sepeliantur, & densa carcerum occultantur cæcitate. Si autẽ erumpant aliquando vel ipsis inuitis, & vox miserorum lugubris inaudiatur: Arcta custodia carcerum Londinẽsis & asperitas eiusdem.

offen-

offenduntur atrociter, & vel negant quod factum est, vel lepore quodam eleuant.

Bis nuper Campianus Iesuita tortus est equuleo: quis aduersariorum non pernegabat? Tandem tamen res innotuit, Campiano ipso in turba hominũ hoc profitente: at ludus erat (inquiũt aduersarij) non serio, sed ioco fere torquebatur: eodem modo de alijs prius tortis luserant. Tam delectabile est, facetis hominibus, de miserorum cruciatibus iocos facere.

Sed habent adhuc aliud huic castro perfamiliare stratagema: vt affingant nimirum incluso quod placuerit, et inde ad infamiam foras disseminent, aliorumque in Catholicorum fraudes. Res late patet, & abundat exemplis, sed breuitatem secuti, unum solum aut alterũ apponemus.

Aduersariorũ consuetudo mentiẽdi.

Campianus captus & tormentis agitatus, confessus dicebatur quæcunque postulauerant, præsertim apud quos, & quibus in locis fuisset. Addebatur etiã ad mendacij plenitudinem, sponsionẽ nescio quam recantationis ab illo fuisse factam. Sed hoc nemini probabile videbatur: illud autẽ nonnullis reddebatur subdubium ex ingẽti aduersariorũ asseueratione Multi enim viri generosi & nobiles suis ædibus Londinum euocati, vrgebãtur Campiana confessione,

cum

cum ille tamen (vt deinceps apparuit) ne vnum quidem verbum cruciatibus concessisset.

Simile huius est, quod eiusdem castri præfectus affirmauit apud publicum iudicij consessum (quo cæteros exemplo in fraudem induceret) nullos esse suæ custodiæ subiectos Catholicos, qui ecclesiam aduersariorum adire recusarẽt, cum tamen constaret omnibus, eosdem quos ille signabat, non nisi compulsos, & vi tractos, concionibus quibusdam affuisse, quibus tamen semper, & aperte resistebant, & concionatorem à conuicijs ad argumenta deposcebant, idq; præsente prefecto, & graues sæpe cõpedes iracũde minitante. Deniq; quot, & quanta, hoc inclusi carcere, in omni genere præsturæ sustineant, difficile est scribendo disserere, illi tamen ex parte loquuntur, qui præsentes aliquando rei interfuerunt, e quorum fidissima relatione, hoc vnum, coniecturæ causa de reliquis, ascribam.

Apud comitia ĩ aula publica Lõdinẽsi.

Iuuenis erat loco bono prognatus, & litterarũ in studijs non leuiter versatus, (Doctissimo enim viro Harpesfeldo, qui Christi causa mortuus est in carcere, ꝓceptore & domino fuerat usus:) hic religionis & studij causa, iter in has partes designauerat. Ad quod accinctus iam, collecta quam habuerat vel pecunia vel supellectili, ad ipsum portũ

Coper⁹ dicebatur.

trasfretandi causa properabat. Sed re, nescio quo casu, diuulgata, comprehẽsus est à magistratu, & Londinũ remissus: vbi primum spoliatus bonis vniuersis, & coniectus in arcem Londinensem, seruabatur arctissime, in ea parte carceris, quæ turris Becheama dicitur, exclusis quidem omni solatio humano, excepto solo lectulo, qui ægre permittebatur, ab amicis transmisso. Post aliquod deinde tempus, iuuenis ætate nõ robustus, liberoq; cœlo, & flamini assuetus, partim inedia & frigoris asperitate, partim etiã squallore loci, & auræ corruptela, in capitis quandam perturbationem aut vertiginem videbatur incidisse. Qua re præfecto castri renunciata mirabilem adhibuit morbo medicinã. Iussit enim auferri lectulum, vt humo nudo discumberet, ad sanitatem recuperandam. Quid multa? breui mortuus est inuentus, frigoris & inediæ consumptus viribus, cuius rei, illud extitit publicũ testimonũ, quòd cũ caligas ei ad sepulturam detraherent, caro frigore putrefacta', adhæsit caligis: & ossibus auulsa, decidebat in frusta: miserabile spectaculum inhumanæ cuiusdem feritatis & sæuitiæ. Viuunt tamen qui hoc oculis viderunt, & nominarim me possent, nisi illis esset periculosum.

Turris Becheama.

Inaudita medicina.

Et quoniam de hoc genere sermonem cæpi, ero promisso meo liberalior,

& vnum aliud adijciam, vt videas quã abundem copia, si vellem ea in his exẽplis vti. Iuuenis quidam superiori non dissimilis, Catholici confessoris filius, frequentabat domum nobilis, & generosæ matronæ, cuius filius matri contrarius, Caluino plenus, furebat animo, quòd huius auxilio in domo materna fieri non raro Catholica sacra suspicabatur. Cum ergo quodam tẽpore, hũc obuium in platea Londinensi haberet: exclamauit voce perquam sera, proditorẽ, heu capite proditorẽ. (hoc enim nomine nos appellant ad odiũ, & hac nos afficiunt iniustissima ignominia) Crues audito hoc verbo, exiliẽt officinis, homini manus inijciunt, & ad iudicũ proximum tribunal abripiunt. Vbi cum venissent, vociferator nihil habuit quod accusaret, nihil quod obijceret præter solam suspitionem religionis catholicæ (neque enim de facto valebat conuincere) Iudices tamen, hominẽ non dimittebãt, quia odiosissima est accusatio religionis, & adiuuanda iudicũ ipsorum interrogationibus, si quando accusatori desit quod opponat. Interrogãt ergo de fidei capitibus, quid crederet, quid ve sentiret: tandem argumentando extorquent, illum sentire, Pontificis Romani summã esse debere auctoritatem, in rebus etiam Anglię Ecclesiasticis.

SHYRODVS.

Filius Martinus, mater, domina Trigonia dicebatur.

Ad castrum ergo Londinéſe tranſmittitur, & in abditiſſimam ſpecum, iuxta locum tormentorum, recóditur. Interim cubiculum diripitur, quod habebat in ciuitate, & diſtrahitur quicquid erat bonorum, ſimul etiam nonaginta plus minus aurei, qui alieni fuerant, & pauperrimo afflictiſſimoq; parti debebantur, in reliquorum ſocietatem abripiebantur. Ille in carcere tormentis exercebatur, vt indicaret quibus locis, audiuiſſet Miſſas (nam ipſe ſacra facere non poterat, cum adhuc eſſet laicus.) Poſt maxima torméta ingẽti animi magnitudine tolerata (ſic enim fatebatur quidam qui interfuit aduerſarius,) protrahebatur in antrum perobſcurum, & atrum, ſine lumine, ſine lectulo, ſine veſte neceſſaria. De victu autem licet facile coniicere, cum nulla pars ſuorum bonorum ad vitæ ſuſtentationem permitteretur. Immo quod horret certe animus referre, cum vir quidam piiſſimus, fama huius extremę calamitatis permotus, pecunias quaſdam dono miſiſſet, & mediante quodam incluſo, particulari huius cuſtodi tradidiſſet, (habet enim quiſq; particularẽ in hoc caſtro cuſtodem) cuſtos acceptam pecuniã poſtridie retulit, affirmans præfectũ caſtri nolle hunc miſerum huius eleemoſynę fructu beneficio Rogatus tamen vehementiſſime vt aliquid in illius opem expende-

Hic erat Roperus genuet Thomę Mori.

ret,

ret; negasse se omnino posse, exceptis solũ duodecim circi et assibus, ad stramen comparandum in quo discumberet, tam infensus erat pauperculo prefecto.

Hoc ẽ, sex denariis Anglicanis.

Deniq; post sex, opinor, menses hoc acerbissimo martyrij genere transactos protractum in publicum suspendunt laqueo, & deinde reuiuiscentem (digũ cæteris cruciatibus, qui reipublicæ proditoribus infligi solent: at longe maiori truculentia quam cæteros. Sunt nãq; aduersarij immitiores in nos quam in quoduis genus facinorosorũ hominũ. Illis enim, si hac eadem morte mulctandi sunt, vel largiuntur ex misericordia, vt suspendio expirent, priusquam detrũcentur, vel certe ex præcepto legis præstant, vt semimortui saltem sint, ad retũdendos sequentiũ tormentorum dolores. At orthodoxos postquam suspenderint, magna furoris contentione nitũtur, vt abscisso statim capistro, viuos & viuaces & integris plane sensibus, ad cruciatus reliquos perducant, quod tã impigre nonnunquã, dextrèq; perficiũt: vt plerunq; non solum persentiant acutissime, verum ét articulatim, & distinctè loquantur post eruta sibi ilia, & cũ iam ipsum etiam cor, carnificis digitis palpatur abripiendum.

Protestantũ in catholicos morientes immisericordia.

Neq; hoc cruentũ spectaculũ quicquam immittit aduersarijs misericor-

dix,

die, sed ridētes ludunt, & morituris insultant, præsertim si quis dolore victus gemitum ediderit (quod rarissime tamen fit) ita quidam eorum cōcionator non mediocris, libro quodam impresso colligit, nostros vere martyres nō esse, quia vnus eorū (vt affirmat ipse) in his cruciatibus eiulatum quendam edidit tanquam infernalis canis, vt ipsissima illius verbis vtar. O sententiā concionatore dignā. O nouam, noui Euāgelij charitatem. Quis vnquam prædo gladiatorius, huiusmodi vocē non erubuit proferre? Quis unquam sicarius, mentem tam immitem, & barbaram demonstrauit?

Fulcus.

Sed profecto videntur isti ab humano plane sensu degenerasse, & nescio quæ uiscera feritatis induisse, obliti penitus illius sententiæ: *iudicū sine misericordia illi, qui non fecit misericordiā.* Et maxime illius: *Cor durū male habebit in nouissimo.* Hoc nō solum ex eis quę diximus perspicitur, verum etiam ex infinitis alijs, quæ nunc à me persequenda non sunt, ne longior sim quam libellus patiatur. Quædam tamen ad exemplū rationē annotabo, quæ rem clarissimā, & manifestam reddant.

Iacob. 2.

Eccles. 3.

Adolescens quidam magnę & honorificæ familiæ, vocatus in crimen auditæ Missę, quę sororis in nuptijs dicebatur celebrata, fugerat quidō e domo

Tiruitus, Roberti Tiruiti equitis filius.

paterna,

paterna, & Londini se abdiderat superiori anno. Vbi ex labore fugæ, & æstatis (opinor) intéperie, in graué febrim incidit. Quod vbi cognitum est aduersarijs, accurrunt statim, cuellere volunt ædibus, carcetibus inferere, vt erat languidus & afflictus ægritudine. Res visa est inspicientibus, cum inhumana, tum foneſta: orant, obsecrant, vt hominis ægroti rationem habeant, non addant afflictionem afflictissimo, vitam non effundant generosi, nobiles, & pulchertimi adolescentis: securitatem offerũt, quantam velint, fisturos in iudicio, quàm primum conualuisset. Sed nõ recipitur. Adsunt medici, qui affirmant, actum esse de salute, si loco moueatur ad carceris incõmoda. Non curatur. Vi rapiunt hominem ad ergastulum: recludunt carcere: moritur biduo: sepelitur, nihil habentes vel pensi, vel scrupuli.

Dominus Dimmocus.

Vir illustris & magnanimus, peculiari quadam dignitate armorum spectabilis, & clarissimi comitis Lincolniensis genere, cum paralysi membrorũ vehementissime nonnullis iam ab annis laborasset, ita vt nec domum egredi, nec loco pedem efferre posset, nisi seruorum manibus subleuatus: accusatur tandem de religione Catholica apud Superintendẽtem illius prouinciæ (eo enim vocantur nomine, qui antiquo-

rum

rum episcopatum possessionibus incubant) defertur vt auitæ fidei suspectus, & citatur in iudicium tanquam Catholicissimi manifeste reus. At homo paralyticus nō comparuit: excusat se tamē diligenter per litteras, sed non admittitur. Accurrit domum Superintendēs ipse, perlustrat oculis hominis impotentiam, sed non mouetur. Comportari vult ad carcerem: quid multa? nec ætas viri, nec conditionis dignitas, nec generis amplitudo nec magnatum propinquitas, nec membrorum paralysis, ab ergastuli molestia liberare poterant.

Quid ergo? breuissime his incommodis moritur. Sed nec morientem dimittunt, immo diuexant, & affligūt magis: adsunt enim ægrotanti, adsunt constigenti cum mortis doloribus, adsunt animam agēti, adsunt iam iam spiritum efflaturo, quiescere non sinunt, mori qua ratione cupiebat, non permittunt, (cupiebat autem, vniuersalis ecclesiæ christianæ consuetudine') sed obtrudūt se ministri, suasq; preculas ingerūt, quas ille sanus contemnebat, ægrotus clamore resuebat, iam mutus & semimortuus vultu, signis, corporisq; gestu detestabatur. Quid hoc immitius aut crudelius fingi potest?

Domina Thimilbelia.

Sed nec illud omittendum est, quod eodem tempore, eadem in ciuitate cōtigit. Fœmina enim generosa & iuue-

nis,

ne, impetrata prius venia, ad maritum, religionis causa captiuum, officij, & visitandi gratia, carcerem est ingressa. Quo cognito, Superintendens, tanquam in laqueum inciderit suum, iubet etiam ipsum recludi custodia: qua vel inhumanitate mota, vel perfidia territa, vel intemperie loci læsa mulier, occupatur breui a grauissimo morbo, & in manifestum vitæ periculum incidit. Cumq; iam in horas expiratura videretur, coniux dolore percitus, vehementer obtestatur vt vel ad diem extra carcerem collocari posset, & matronarum frui auxilijs, sed non impetrat. Inhumanitas magna.

Satis iam diu sum in carceribus, (Gerarde) & multũ in hoc genere videatur forsan substitisse oratio. At ubi sim (quæso,) libentius quam cum nostris? quid dico nostris? immo cum Christi Dei & Saluatoris amicissimis? quorũ vita, lux nostra, constantia, exemplum nostrũ, fortitudo, decus & honor noster, mors denique, gloria nostra? vnde, fateor, quod licet absim corpore, spiritu tamen semper versor cum illis, nec vnquã animo elabuntur meo. Antefero enim catenas corũ, præfero carceres, præpono contumelias, cuiusuis Cræsi, vel opibus, vel diademati. Relinquere tamen hos inclusos ad tẽpus, & egrederer ad eos, qui foris iactãtur, nisi admoneret me locus ipse, vt priusquam

digre-

digrediar, mentionem facerem de quadam aduersarij vel astutia, vel latebra, quâ occasione carcerum captat & tuetur. Intelligo autem disputationis illius fucum, quam offerre captiuis videri vellet liberis vero ne postulatus quidem cedit. Immo vero, nec inclusis ipsis, vlle æquabili cõditione, aut lege: Sic enim se res habet.

Disputationis fucus quo vtuntur aduersarij.

Viginti plus minus abhinc annis, postquam indicta causa nos expulissent aduersarij, & sedibus iam potirentur nostris: vt quod viribus occupassent, id deberent vulgo iustitia tenere: obtulerunt scriptionis certamen in controuersia: vocabant ad scribendum, quotquot erant nostrarum partium, vel re, vel opinione litterati, eam apponentes conditionem, vt qui scribendo superiores, iij etiam veritate firmiores haberentur.

Arripiunt auidissime conditionẽ nostri, scribunt Anglice, pro fide Catholica, viri doctissimi, exilij licet incommodis affecti, Sanderus, Hardingus, Feknamus, Alanus, Heskinus, Stapletonus, Marshallus, Dormannus, Rastallus & alij. Exponunt inculenter quid esset cõtrouersiæ: quid rationis, auctoritatis, veritatis à nobis: quantum vero doli, falsi, ruinæ, ab aduersarijs.

Protestantes prouocãt Catholicos ad scribendũ & tamen eorum libros prohibent.

Cum illi se læsos hoc artificio suo, et fere prostratos hoc aperto martis certamine viderent: excogitarunt aliud,

rebus

rebus quidem perditis necessariũ, licet existimationi minus consultum refugium. Obtinuerũt edictum regiũ atrox, & minacissimum in eos omnes, qui huiusmodi libros (quos ipsi prius postulauerant) haberent, legerent, reciperent, aut importarent. Exinde non est facile existimare, quãta sint nostri perpessi ob hos libros. Multi in carceres coniecti, nonnulli ad quæstionem rapti, alij iuramentis examinati, quidam non leuiter mulctati, plurimi in fugam acti, infinitæ domus de nocte quæsitæ, perlustratæ, & exagitatæ ob solam librorũ horum vel tenuem suspitionem. Si quis liber inueniebatur, iusta erat materia atrocis accusationis: si quis peteret libro, ab aduersario respõderi, grauis suspitio non boni subditi: si quis vel verbo librum defenderet: heu planum indicium animi proditorij.

Persecutio ob libros catholicos.

Cum has in angustias redactos se nostri cernerent, vt causam dei, & vniuersalis Ecclesiæ, neq; scripto possent, neq; verbo tueri. Ime sumptus incõmodaq; molestijs: fecerũt id quod viros bonos & orthodoxos decebat: Corpora carceribus, manus vinculis, bona direptionibus, vitã etiã mortis periculis, pro rei natę occasionibus, submittebãt. Interim tamen ne causæ diffidere, & Dei negotium silentio prodere viderẽtur: pacato, & tranquillo animo, colla

tiones æquas cũ aduersarijs postulabãt, & quanta poterant submissione, aut vehementia, magistratum omnem obtestabantur, vt vel publica admitteretur de rebus religionis controuersis disputatio, vel priuata saltem æquis legibus, & conditionibus collatio.

Vehemens Catholicorũ de obtinenda publica disputatione contentio.

Multi domi, multi foris, hoc prece perurgebãt, nõ nulli gratia cõtendebãt, quidã qua licebat, auctoritate, premebant, plurimi rem alijs modis promouebant. Offerebant se nostri, summa licet per incommoda, solo principis verbo nixos, ad hoc certamen, veritatis causa libẽtissime descẽsuros, ea sola spe, quod nonnullas animas Christi [illegible] redẽptas, & hæresi cõtaminatas, [illegible] uante gratia, posse reuocari [illegible] cõsiderent. Aduersarijs itaq; libertatẽ omnem faciebant, vel domesticis vtendi, vel aduocandi exteros, ad suæ causæ defensionẽ; statuẽdi diẽ, eligendi locũ, mouendi quæstiones, præscribẽdi modũ: deniq; incipiendi, finiendi, quiduis agendi pro arbitrio suo, modo lex aliqua & ratio disceptandi seruaretur.

Timor protestãtium in causa sua.

Sed quid tam multis tempus tero? aduersarius nihil horum volebat. Præuidebat enim non insipienter, actum esse de suis partibus, si aliquando publice collato marte decertaretur: refugiebat ergo hanc publicam scholæ palæstram tanquam nimis illustre de sua fraude iu

dicium

dicium, secundũ illud saluatoris. *Omnis qui male agit, odit lucẽ, & non venit ad lucẽ, vt non arguãtur opera sua: qui autẽ facit veritatem, venit ad lucẽ, vt manifestẽtur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Ioan. 3.

Tandem tamen, ne nihil agere videren ur aduersarij, duo præstant securitatis & existimationis causa. Primo enim, acerbiorem excitant in Catholicos omnes persecutionem, maxime verò in litteratiores, qui illis in hoc agone officere posse disceptando crederẽtur. Itaq; episcopum Lincolniensem, Abbatem Vvestmonasteriẽsem, reliquosq; non paucos eruditionis solidę, summæq; grauitatis atq; virtutis antistites, Londino in castrum rusticanũ eijciunt, libris denudant, & omni adinuicẽ colloquio, pręterquam in mensa, priuant: alios in alias tenebras secernunt. Si qui foris erant alicuius nominis, ad ferreos carceris cancellos reuocant, vt vel sic omnibus silentium imponãt. In castellũ de Vuisbiche

Secundo, cum hæc ex animi sententia cõfecissent, proripiunt magno silentio in carceres. Adoriuntur inexpectato Catholicos inclusos, vocãt impigre ad disputandum de fide, ne tempore quidem ad cogitandum dato, nec vllo inuicem colloquio permisso. Et ne alter alteri, vel esset adiumento, vel solatio, vel etiam testimonio: singulos (vt plurimum) separatim aggrediuntur. Si Fraus ministrorum in faciẽdo disputationis fuco.

quis nostrũ, opponere conditionis iniquitatem, tempus petere ad meditationem, libros ad studium, colloquium suorum ad instructionem, cæteraq; ad armaturam necessaria cæpisset: si quis etiam adijciebat (quod adijciebãt multi) deesse iudicem ad ferendam sententiam, auditores idoneos ad præstandũ testimonium, Notarios fidos ad excipienda argumenta: clamabant aduersarij, detrectare nos pugnam, verborum latebras quærere, & subterfugia. Qua importunitate commoti nonnulli, tradebant se quibuscunque conditionibus, sola causæ bonitate freti.

Sed quicquid demum afferrent nostri, minimi referebat; vel enim ab aduersarijs cõtumeliose reijciebatur, vel odiose in crimen maiestatis trahebatur, vel ad plebem iniquissime peruertebatur. Horũ exempla permulta quidẽ sunt, sed huic loco sufficiãt paucissima.

Exẽpla varia conferẽdi seu potius calumniãdi ĩ ministris protestantiũ CROVLEVS.

Cum nuper in Christi sacerdotem, Hansium, sententiam mortis ob fidem tulissent orthodoxam, cumq; ipse iam in carcere se præpararet ad supplicium: venit ad eum minister quidam, amoris quadam specie, & vultu composito ad hypocrisim pietatis, sed exitus declarauit fuisse plenum amaritudine, & omni dolo ad decipiendum. Cum enim conuicianti, & læsæ maiestatis crimen obijcienti, respondisset Christi martyr, se

nun-

nunquam in regiam peccasse maiestatē sed tantum fidem professum esse catholicam, quæ lædere non potest maiestatē humanam, cum summopere maiestati placeat diuinæ: cum hæc (inquam) & similia dixisset Hansius, adijciens præterea, se libentissime hanc mortem, subiturum, cum securus esset, se nihil vnquā in reginam commisisse sceleris, sed Deo potius illam pro officio cōmendasse, hocq; crimen maiestatis, sibi attributū ab aduersarijs, nec esse reuera crimen, nec vllum apud Deum peccatum: iste bonus Euangelicus, tanquam abundantem nactus calumniæ materiā, egressus carcere, diuulgauit in plebem, etiam libello scripto, & impresso, Hāsium affirmasse, nullum crimen læsæ maiestatis apud Deum peccatum esse. Quod cum Hāsius ad locū supplicij perductus, intellexisset, questus est publice de iniuria: mentem aperuit de sententia: & veniam petijt calumniatori de tam iniquo, & odioso mendacio.

Duo ministri collationis causa ingressi sunt carcerem ad generosum quēdam aulicum, iam multis annis ob fidem captiuum: apud quem cum diu contumelijs rem triuissent, & hominē blasphemijs fatigassent, vt ipse per litteras conquestus est, nulla re vel stabilita vel argumentis refutata: tandem nec ociosa esset omnis sermocinatio, inui-

Trippus & Croulę ad dominum Thomam Pondum.

Controuersia.

tabat eos, ad aliquod certum principium constituendum, ex quo deinceps ad cætera discutienda possent progredi. Hoc autem erat: An priuatus spiritus particularium hominum, vel publicus vniuersalis Ecclesiæ, iudicare debeat de sensu scripturarum? Ille enim cum eos passim & perperam scripturam sacram citantes audiret, affirmabat non esse recurrendum in his controuersijs, ad solam scripturę litteram, pro cuiusq; priuati hominis arbitrio intellectam, (hoc enim modo hæreses omnes defenduntur) sed ad Ecclesię vniuersalis, saltem vetustissimæ, certissimum iudicium, quæ Dei spiritu gubernata, vērū & germanū scripturarum sensum proponit. Et quia ministri hoc fundamentum non admittebant, nec tamen refutabant, sed (vt solent) in angulos & sinus & flexus diuertebāt: proposuit scripto (licet laicus, & in theologia nō admodum versatus) sex firmas rationes suæ sententiæ, quibus à ministris responderi petebat, facultatem etiam postulās qua sibi liceret eorum responsa (sic ubi vel deuia vel infirma viderentur) oratione vel calamo confutare.

Necessariū principiū ad controuersias diri mendas.

Ministri accepta chartula ad Superintendentem properant Londinensem: queruntur de hominis pertinacia, quod ipsis suadentibus, Caluinianus esse nollet, quod etiā scripto tueri se auderet.

Super-

Superintendens, vt est iracundus, & natura biliosus, inflāmatur atrociter: animo designat hominem ad pœnam: exturbat Lōdino in artiorem custodiam: condit in arcem deuiam, & obscuram, vbi nec solis, nec luminis, nec hominū fruatur conspectu: ferris premit, & vt singula nō recenseam, affligit immensa & incredibili calamitate Ministri securi iam de aduersario, edunt librum, & rationibus respondent ab illo propositis: cum in cæteris, tum in eo iniquissime agentes, quod statum quæstionis, & cōtrouersiæ dissimulent, arguentes eum scripturas Ecclesiæ posthabere, cum ille non de scripturarum iam cognitarum auctoritate, sed vel de cognitione dubiarum, vel de obscurarum intelligentia disputaret.

In castella de stratford.

Doctor theologus, & apud aduersarios in dignitate positus, venerat quodam die, non leui pompa, & comitatu ad castrum quoddam disputandi prætextu (libenter enim persuadēt hominibus, frequentia se nostris largiri certamina) conuocat in aulam castri quot quot erant ob religionem inclusi, iuuenes, Senes, Sacerdotes, Laicos: narrat se concertatum venisse, sumit subsellia, sedit cū suis. Et primo, licet essent permulti numero, petit cuiusq; nomen & sedē: si quis expeditè nō respondebat, exagitabat in credibili ferocia & bile.

VVALKERVS.

Ad castrū Egtis Martij.

Sic miris conuiciis exagitabat Coramum

presbyterū & cognomen sine prænomine dedisset.

Deinde priusquam capta esset disputatio, quidam nescio quid intulerat de scriptura, quod ille negauerat: perirascitur senex, & nullo modo admittit, huiusmodi quid in scripturis esse: affertur liber, clarissimisq; verbis recitatur. Senex admouet perspectilia, & legit: sed alieno libro non adhibet fidem, suū postulat, rident sui. quid multis? re infecta discessum est, & seniculus, cum nihil se proficere cerneret, ruinā imprecatus est tam castro, quàm inclusis omnibus, præsente, & audiēte, & erubescēte custode carceris. An quicquā hoc ineptius dici potest? Et tamen Catholici ab isto Hercule prostrati dicebātur, cū reuera vix vno argumēto pter iurgia sit vsus.

EVLCVS ad castrum vvisbichen se.

Est in aduersarijs minister quidam opinione sua magnus, aliorum vero, mediocris, lingua non imparatus, sed ignorantia sui præceps. Hic nō ita multo ante, gloriam sperans e cōtentione cum magnatibus, irrepserat inexspectatus in arcem, qua viri doctissimi, & grauissimi, religionis causa tenebantur inclusi, Vvatsonus Episcopus, Fknamus Abbas, cæteriq; bono loco, & nomine prælati. Sisti iubet omnes ad suum conspectum: venisse se . . vt religionis capita controuersa cō ferret, annuit vt certamen aggredia . . r. Illi, vt eran prudentes, cum viderent hominē nulla hoc auctoritate publica facere, aut cer-

tale-

ta lege conferendi, sed temeritate quadam sua ad honoris aucupium: facile contempserunt iuuenis superbissimi ridiculam leuitatem. Postquam ergo conditionis iniquitatem exposuissent, quòd libri, quo d tempus, quod cætera deessent: hominē suis ineptijs reliquerunt, & (quod eorum grauitati conueniebat) potius despectum, quam vexatum dimiserunt. Ille tamen, pro more, triūphum diuulgauit, & edidit librum de sua in illos victoria: in quo, cum multa falsa, & plurima sint inania: tum nihil qđ ꝓ suis partibus (vel ipso narrante) quicquam conuincat, præter vanitatem.

Cæterum cum hic agendi modus paulatim innotescens, nonnullis etiam ex ipsis aduersarijs displiceret (genuerat enim fere publicam querelam, & iniecerat vulgo causę perditæ suspitionem) fecerūt quidem hanc infamiæ medicinam, vt pollicerentur, brcui futuram æquissimis cōditionibus disputationem. Scribit itaq; Eques martius sui castri custodi, mādatq; vt disquirat, si qui sint suę custodię subiecti papistæ, qui velint disputando partes suas defendere: transmittant scripto conclusiones defendendas: adscribāt nomina: parent se ad prælū. ipsum renunciaturū statim, de modo, de loco, de tpe certaminis.

Mense Nouembri proximo. 1580.

Noua disputatiōis denunciatio.

Res placuit vniuersis. Tres nostri sacerdotes, ætate licet iuniores, & literarum

BOSGRAVIVS Iesuita.

ſHYRVVINVS Coll. Ro. Angl. HARTVS Coll. Rhē. Angl.

rarum in ſtudijs minus proiecti (robuſtiores enim & magis exercitatos omnes, Londino dimiſſos dixi) accipiunt cauſę confidentia prouinciam: obſignatas cōcluſiones, ſubſignatis nominibus cū ingenti gratiarū actione tranſmittūt: non placent aduerſarijs concluſiones: ſtatuuntur alię pro illorū arbitrio: remittuntur: admittūtur à noſtris: dies campi indicitur: excitatur ingens expectatio: quid deniq; ? pridie (opinor) quam dies expectatus aduenisſet, defenſores ſupradicti noſtrarum partium, dimouentur hoc Equitis martij carcere, & in arcem Londinenſem tranſferuntur ad quęſtionem, vt qui rationibus petitis ab authoritate, nō flectebantur, argumentis ductis ab equuleo exercerentur.

Comes Leceſtrenſis.

Sed neq; hoc ipſum Catholicos ab æquæ diſputationis petitione deterrebat. Vnde vir quidam nobilis, & maieſtati regiæ in primis à conſilijs, fatigatus, opinor, quorundam importunitate conſenſerat tandem, vt quibuſdā præcipuis viris, qui religionis cauſa cuſtodia tenebantur, in hoc publico poſtulato, priuatim ſatisfaceret. A duocauit enim eos in cubiculum ſuum, narrauit amore ſe commotum, vt morē gereret eorum deſiderio, cupere, vt æquos ſe præberēt, & attentos auditores, nec in cauſa pſligata pertinaciter obſtinatos: nō dubitare ſe, quin ex hac vna doctiſ-

ſimo-

simorum virorum concertatione, facillime rei veritas vniuersa retegatur. Annuit, & inclinant se nostri: gratias agit de tanto beneficio, despectant tñ vndique si quē theologum orthodoxū cernant, qui partes disputādo tueretur suas (nā aderant ministri quatuor ad impugnandum, sed neminē reperiūt) miranti: silent tñ, vt rei exitum obseruarent.

D. Laurentius HVMFREDVS cum tribus sociis. ADAMVS. Squyer.

Tandē e subsellijs minister vnus descendit, ingentibus prius suorum encomijs dilaudatus, & causę se nostrę aduocatum profitetur. Quis abstinebat a risu, si ratio loci cachinnum admisisset? quem nostræ causæ non misereat, quæ suis destituta, solius hostis tutelæ committitur? Ille tamen fidam aduocationē promittit, & eleuatis in cælū oculis, sancte recipit defendendam, cuius antea se fuisse desertorem gloriatur. At quis ludēti credat, & nugāti? quis ioco disputanti fidat de salute, cui (vt fama est) vel serio iuranti, vix adhibent fidē creditores de pecunia?

Atq; hæc ferè sunt quæ de ministrorum cum nostris litteraria dici possunt palæstra. Nulla enim recordor cessisse aduersarios disceptādi certamina, præter hæc quæ dixi, excepta solum recenti disputatione, quam Edmundo Campiano Iesuita incarcerato, bis torto, libris destituto, & rebus omnibus impauratissimo (prēterquam causa, & volun-

Disputatio cū P CAMPIANO.

tate) sunt largiti. Cuius profecto disputationis, iniquissima multa his in partibus narrantur, ipsis etiam testibus qui interfuerunt, quorum forsan nonnulla vix hominibus doctis credibilia viderentur, nisi superiorum temporum exemplis admoniti, quiduis fere suspicari de hominum timidorum iniquitate cogeremur. Quis enim ignorat durissimum necessitatis telum esse? aut quis optime non intelligit, ad turpia deducere, causæ desperatæ ruinam & inopiam? Sed nunc egrediamur paulisper ad alia, satis enim de inclusis dixisse videor: quorũ certe conditio si dura videtur, est tamẽ eorum vel durior, vel implicatior, qui libertatis quadam specie foris viuunt, & procellis exagitantur. Carcerum enim cancellis inclusi, cætera licet satis calamitosi, eo tamen vno perbeati videntur, quod mentis quiete, & tranquilla quadam serenitate fruantur. Foris autem qui sunt Catholicis, hoc est, habitatione per Angliam dispersis, nec quiescere datur, nec vspiã consistere: Sed vexationibus perpetuis tanquam fluctibus & ventis iactantur. Quocunq; enim loco pedem posueris, quacunq; via, vel semita incesseris, cernes oculis luctuosa spectacula: hunc fugientem, illũ latitantem, alium mentita veste clãm proripientem, quosdam captos perduci ad iudicium, alios quæ-

In carcere minus afflicti quàm foris viuit Catholici.

ri, sed nondum comprehendi: multos se dumetis, & syluis continere: nonnullos interdiu per campos versari, & non nisi multa nocte domos repetere.

Domi autem cum sunt, ne sic quidē vel ad horam securi esse possunt. Media enim de nocte irruūt non raro vi magna aduersarij, domum custodia circumcingunt, ne quis effugiat: loca singula scrutantur, etiam mulierum & virginum cubilia: lustrant, versant, & euoluunt omnia: cistas & armaria, capsulas & scrinia, pixides & arculas: si quid inueniunt quod religionis insimulent, aut quod in crimen trahant, vel calumniā: vt sunt, calices argentei, patenę, candelabra, cruces, libri, vestes, cæteraq; ornamenta, quæ dicuntur Ecclesiastica: abripiunt prædationis iure, & Euangelij. Et ne hęc ipsa solitaria proficiscantur: rapiunt etiam sæpe in societatem, quicquid adiacebat cæterarum rerum. Ne quid præterea per negligentiam pereat: matronarū etiā sinus, & loculos pertractant, immo vestes ipsas interiores retegunt, & violentis manibus non nunquam disrumpunt, vt videāt si quis Agnus Dei, crucifixus, medalia, aut res alia sacra, ad partes secretiores abscondita lateat. Hæc faciūt lictores, qui persequantes appellātur, animalia famelica, & in omnem facile prędam ferocissima. Quorum etiam potestas est, quoscunq;

Domorum de nocte p scrutatio.

Persequentes.

domo-

domo repertos, vel carceribus tradere, vel alijs, pro libitu, fatigare molestijs, nisi peccatoris oleo impinguentur, & grato pecuniæ pacificentur sacrificio.

Psal. 140.

Hæc domestica Catholicorum pax: videamus paululum quâta sit forinseca. Dixi lictores ædificiis infestos esse, tanquàm i tenebris, nocturnas furias: liceat addere, interdiu etiam viis, & compitis insidiari, non minus quam dęmonia meridiana. Si quis enim nostrorum, cuius nomen delatum sit, per ciuitates, aut oppida, aut villas transeat: comprehendunt eum via publica. Si quis vel de no & ciuitatē ingrediatur, & indicio speculatoris (quorum est magna copia) prodatur: extrahitur vi publica è tabernis, vel hospitio. Si autem delatus vel proditus non sit, securitatem tamen nō habet, nisi hominum omnino consuetudinem fugiat: quia plurimis modis vel ex sola suspicione, in periculum trahatur. Verbi causa, si carnes diebus ab Ecclesia prohibitis recusет: si verbosius oret, maxime vero latino sermone: si crucis se signo muniat: si ieiunia, virginitatem, aut cælibatum suadeat: si antiquos patres vehementius commendet: si quicquam pro religione Catholica affirmet, vel apertissimū mendaciū aduersariorum reuincat, Immo, si conuiciantibus (pro vice) cæteris, ipse solus subticescat. Deniq; extat publicum edi

Psal. 90.

ctum

ctum nō longe ante promulgatum, quo potestas fit vnicuiq; vnūquēq; vel dete gendi, vel accusandi, ex minima quaq; circumstantia, quæ suspicionem Catholicæ religionis inducat. Ex quo multi deinceps sunt comprehensi, plurimi varijs molestijs, & calamitatibus affecti.

Mense Novembri anno 1580.

Sed vna est asperitas (non enim vtar grauiori verbo) quæ cæteris omnibus magis affligat, illa nimirum quam nostri in iudicijs, in negotijs, in communibus vitæ commercijs experiūtur. Atq; hęc res profecto, ipsos etiam humanæ societatis neruos attingit, qui iustitia & humanitate continentur, & abhorrent ab omni crudelitate atq; iniustitia. Nec ego queror, aut querēdum existimo, si qua gratia nostris nō est facta, aut si qua misericordia rebus non est prestita, vel afflictissimis, vel etiā extremis (patior enim hāc nobis tolli fratribus, religionis odio, quam natura largitur in ipsos etiam hostes, humanitatem.) Sed certe, si qui sunt qui legum in nos seueritate, pœnarumq; grauitate nondum satiati, suam etiam addunt maleuolentiæ acerbitatem, vt vel lege fæuiant, vbi lex nō est, vel legis aculeos latius distrahant, quā legislatoris progressus sit animus, idq; in rebus maximis, & grauissimis, & ad vitam, sanguinemq; pertinentibus: nemo mirari debet si gemimus, si lamentamur, si nonnihil sub tanto calamita-

Magna asperitas quorundam iudicum in catholicos.

tis one-

tis onere, suspiramus.

Videamus ergo quid etiam in hoc genere patiantur Catholici, christianæ religionis odio, & inuidia. Lex quædã est, quam antea recensui, vt qui bullas, uel alia instrumenta publica, à Pontifice Romano obtinuerit, aut in Angliã inuexerit, reus lęsæ maiestatis existimetur. Sit lex iustissima: n n enim de legis æquitate disputo, sed de mente. Quis nõ videt illud solũ hac lege cautũ fuisse, ne pontifex quicquã statueret de rebus Anglicanis, quod per bullas, (vt vocant) & breuia apostolica facere solet? & tamen cum exemplar quoddam, non ita longe abhinc, inuentum esset illius Bullæ, quæ Iubilæum annum præteritum indixerat: etsi nihil ad Anglos pertinebat, etsi alieno in regno impressum esset, etsi elapso iam tempore vigorem amisisset, etsi despectum in laceris solum chartulis iaceret: tamen rei atrocitas seueritate iudicis tam vehementer est aucta, vt Sacerdos, cuius incubiculo reperta fuerat, morti acerbissimæ ob eam causam sit traditus, & vir illustris qui rei ignarus sacerdotẽ domo receperat, eadẽ iudicis sentẽtia fortunis omnibus, hoc est, amplissimis, euersus, et carceri ꝑpetuo condemnatus fuerit.

Eodem nuper iudice, atq; etiam litigatore (vtrasque enim partes in Catholicos exequitur) factus est quidam

Supra pag. 20. nu. 2.

Insignis iniquitas.

Anno 1575.

Iudex erat MANOVS MAYNVS DE TRVGIONVS.

Apud DORCESTRIVM.

læsę maiestatis reus, ex lege vigesima prima capitali supradicta, eo quod vicino cuidam suo, rationem reddiderat quare protestantium Ecclesias, salua conscientia, adire nō posset. Hoc enim in eum sensum interpretabatur iudex, ac si vicinum ea ratione ad suam sententiā pertrahere voluisset, & cōsequēter dissuadere illi religionem Anglicanam, & secundaria consequentia, perducere ad obedientiam Romani Pontificis. Tā longi sunt laquei ad insidiandum sanguini Sed additur adhuc aliud ad facti seueritatem. Cum enim pro more patrio, res permitteretur quibusdā Quęsitoribus, nec illi tantam attrocitatem in ea cernerēt, quanta supremo supplicio sufficeret: compulsi sunt auctoritate iudicis tanquā erimen maiestatis rē deferre, qđ in homines pditissimos & flagitiosissimos, nec solet nec debet fieri.

Septem. 5. an. 1581. Pag. 23. num. 27.

Dura interpretatio.

Lex est Anglicana vt pauperculi desidiosi qui eisdem locis non consistunt, sed incertis ociose diuagantur, virgis cæsi, auricula ferro candēti perfodiantur. Oblatus est iudici, religionis causa, iuuenis quidā perhonestis & diuitibus genitus parentibus, litteris imbutus humanioribus, qui studijs ad tempus dimissis, Londino ad amicos inuisendos transibat. Quid simile habet cum desīgnatis à lege? quia tamen venerat recēter è Gallia, & in pontificio seminario

Lex de hominibus vagis.

IOANNES TYPPETVS.

instītu-

Flectodus.

inſtitutus fuerat, iudex iracundus, in religionis, & cauſæ Catholicę inuidiã, nõ niſi virgis cæſum per ciuitatẽ Londinẽſem, & auribus odioſe peruſtũ dimiſit. Similẽ pœnam quo ad aurium inuſtionem, ſacerdoti fuiſſe nuperrime inflictã apud ciuitatem Eboracenſem audiuimus, & eiuſmodi ſane multa enumerari à me poſſent: ſed hoc ſit querelarum ſatis. Deus qui *pauperes iudicat in iuſtitia, & retribuit abundanter facientibus ſuperbiam*: Dominus qui *iudex & teſtis eſt*, (vt inquit Ieremias) *& in manſora contra manſoram, cum abieſta fuerit, iudicabit*: parcat his iudicibus, de tam iniquis, & iniuſtis iudicijs.

Eſa. 24. Pſal. 30. Ierem. 29. Eſa. 27.

Quo nos (bone Deus) quo nos impulerunt exulceratæ de rebus fidei & religionis controuerſię? nulla natio moribus exculta ciuilibus, nulla gens perfuſa ſancta luce Euangelij, nullus populus Chriſtianis placitis & ritibus inſtitutus, vel aptior ad humanitatem, vel pronior ad beneficẽtiam, vel æquitatis amantior, aut propenſior vnquam ad miſericordiam fuit, quàm fuerat gẽs & natio Anglicana, priuſquam funeſta & exitialis hęreſis, amoris viſcera in adamantina commutaſſet, & lethalibus odij venenis infeciſſet. Hæc iuris & æquitatis repagula concuſſit, hæc amoris & amicitiæ vincula diſſoluit, hæc miſericordiæ & beneficentiæ fundamẽ

tis sustulit, & communis societatis nervos incidit, membra membris furiali impetu, & calamitoso collidens.

Sed iam tempus fortasse (Gerarde) modum ponendum Libello requirat, longè enim prouectus videor, & vereri debeo ne te fatigem, tam molesta & lugubri narratione, quæ legentem profectò te non potest, opinor, vehementer non mouere, cum me scribentē sic afficiat, vt vix aliquando mihi temperem a lachrymis, dum mente cōplector, vel quæ scripserim, vel quæ omiserim. Plura enim lōgè silenda mihi, & prætermittenda fuerunt, quàm his litteris tradenda: partim, ne infinito me labori cōmitterem singula recensendi; partim, quia certa plurimorum cognitio, his tēporum & rerum difficultatibus, haberi nō potest: multo vero maximè, quia præcipuarum rerum explicatio, tam est coniuncta cum personarum notatione, vt nec segregari queant, vt illæ percipiantur: nec coniungi, vt istæ non lędantur. Res enim tradi non possunt in publicum sermonem, quin personæ trahātur in priuata pericula. Illa ergo posteris relinquamus nostris, vel vt prodant memoriæ, si aliquando licuerit; vel vt tacito stupore mirentur, & plangant.

Nobis hæc sufficiant (quæ dixi) vel ad dolorem, vel ad documentū. Documēto enim sempiterno esse debet cala-

mitas

mitas nostra, non solum nobis posterisque nostris, verum etiam vniuersis per orbem Catholicis, quàm horrẽdum sit (vt inquit Apostolos) *incidere in manus Dei viuentis*, et nolle vel admonitos, *Fructus dignos facere pœnitẽtiæ*. Peccata nostra & parentũ nostrorũ, hoc in nos impulerũt grauissimũ Dei flagellũ, qđ serpet sine dubio, & diffundetur latius, nisi Dei iustitia, Catholicorũ pœnitentia, & scelerũ emẽdatione præueniatur.

Heb. 10.

Dolori autem (mi Gerarde) vel tuo vel meo, vel etiam cõmuni & publico, quis non existimet res iam narratas excitando sufficere? sunt enim, & numero plurimæ, & magnitudine grauissimæ, & frequẽtatione quotidianæ, & causa iniustissimæ, & modo odiosissimæ, & hominum innocentia quibus inferuntur, indignissimæ. Et tamen (vt dixi) neque singula potuit attingere, neq; præcipua multo vero minus oculatissima illa, & attenta disquisitio, quæ in nostra minutissima fieri solet, oratione cuiusquã describi potest. Si cui aut verbum, aut vocula, aut nutus exciderit, quo nostræ causæ fauere credatur: iusta est delationis, et incarcerationis causa. Sic quendam recentissimè Superintendens Londinensis, in abiectissimum compegit carcerem, quòd tria verbula in argumentationis Campaniæ patrocinium, contra Fulcum, opinor, effutierat.

Magna disquisitio & testãtium in Catholicorũ minuta.

CAVVODVS coniectus in carcerẽ CLYNCRVM appellant.

Illud

Illud tñ mirabilius est, quòd paucis abhinc diebus, academicos omnes in vniuersitatibus cõmorãtes, iuraméto dicere coegerũt, si quos scirent, vel suspicarentur, qui animis religioni Catholicæ fauorent. Eo nimirum proposito, vt suspectos oẽs Academijs exturbarent. At quã late patet hoc suspicari? quã facile tegitur dissimulationis inuolucro? quàm facile sequitur ad odium, vel inuidiam? quantum hoc licentiæ largiatur ambitioni? quantum virium præstet malevolentiæ? quantum stimuli ad omne genus vindictæ? Ecce natum ex re ipsa exemplum. Minister quidam accusabat præsentem, de suspicione Romanæ fidei: petijt accusatus, quo argumento niteretur suspicio? Quia (inquit ille) nõ eã frequẽtare cõciones te video, quam faceres si nostræ religionis arderes zelo. Quàm grauis ac firma cõiectura ad accusandum? O duram & exercitam conditionem illorum, qui his ventis inuidiæ, calumnięq. procellis, legibus etiã, & authoritate publica subduntur.

Mense Augusto An. no 1581.

In academia OXONIENSE.

Ministrorũ sycophantia.

Et quoniam hoc loco de accusandi facilitate, & procacitate fermo incidit, qua solent aduersarij de rebus manifestissimis, leuissimisque vel crimen intendere, vel struere calumniam: (quamquàm hoc ipsum festinandi studio prætermittere cogitassem,) concedam etiã huic loco exemplum vnum, tãquam decerptam

ptam multorum delibationem, quo cernamus (Gerarde) non solum quam accusemur de nugis, & leuiusculis, verum etiam ut de beneficijs quoq; non raro castigemur. Res est illustris & etiam lepida, & quæ tuis istic Italis præter admirationem, effigiem quandam nostrarum rerum, & temporum delineet.

Historia de restitutione.

AEgrotare cæperat generosus quidam aulicus, vitæ splendidæ, & fortuna non infirma. Huic grauiter laboranti (vt eiusmodi tempore euenire solet vel negligẽtissimis) ingesserat se quædam acris de futura vita cogitatio. Aduocauit presbyterum, (erat enim sententia Catholicus) vt illius consilio recte mori disceret. Ille, pro ratione officij, & Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, admonuit inter cetera, vt si qua in re quẽquã læsisset, aut aliena bona minus iuste occupasset: niteretur statim pro facultate restituere. Annuit ægrotus: occurrebat animo, quiddam olim Caluiniano cuidam, iuris quidem specie sublatum, sed conscientiæ Catholicæ minime securũ: iubet restitui: moritur. Vxor autẽ vidua, cum mariti voluntatẽ perimplere discuperet, nec auderet tamen hæretico reddere: angebatur vehementissime, nec expedire se poterat. Dum hærebat autẽ, accurrit forte fortuna [illegible], impertit ei dolorem suũ, [illegible] vel [illegible] vel cõsilio iuuet.

Sacerdotis [illegible] ALVVATIS.

Vir

Vir Dei, perspecto fœminæ sanctissimo desiderio, zelo plenissimus, obtulit se in rei faciẽdæ discrimen, existimãs hominem tam ferum, & barbarum non futurum, qui de beneficio vindictam expeteret. Itaq; re prius Deo commendata, conscenso equo, viam ingreditur: cumq; ad ciuitatem peruenisset, quam habitabat is, cui erant pecuniæ reddendæ: collocat equum in proximo diuersorio, vt paratus ad fugam esset statim post expeditum negotium. Ipse domum creditoris petit, euocat solum, & manu prehensum, seducit a cæteris. Narrat se pecunias habere, quas ei sit ea cõditione traditurus, vt nihil inquirat, vel de mittente, vel de latore, vel de re ipsa: tantum accipiat, & fruatur vt suis. Spõdet senex, & firmissime promittit: & gratijs actis hominem dimisit.

Die tertio. paschatis -

Huius nomen erat FISHERVS, de ciuitate Vvarvvicẽsi.

Pecuniæ erant 20 Libræ Anglicanæ.

Sacerdos magna contentione festinat ad hospitium, vt equum ad fugiendum arripiat, sed frustra: statim enim à sene perfido proditus, & à viris ab eo missis comprehensus est. Et primum quidem hanc ei calumniam fecerunt, vt non hominem, sed diabolum esse dicerent, qui pecunias à se factas attulisset ad senem illaqueandum. Et huius rei illo argumento vtebantur præter cætera, quòd equum nigrum haberet, quẽ obseruabãt diligenter, an aliorum equorum more, fœnum commederet Dein-

Hi erant duo fisheri fratres.

Diabolus habetur q aliena refti tuit.

de etiam sacerdoti ipsi iniecto ferro, & intra cubiculum munitum concluso, addiderant quendam, qui die, noctuq; cum illo esset, & obseruaret an vllo tẽpore ocreas detraheret, & si pedes equinos, bifidos, aut bisulcos haberet, illo enim indicio cognosci dæmonem humana specie latitantem affirmabant. Ingens autem populi multitudo domum obsederat, & pecunias effuse offerebant, vt hoc monstrum oculis intuerentur. Iam enim populo persuasum fuerat, esse reuera Cacodæmonẽ. Quis enim vnquam (inquiunt) humanæ mentis compos, pecunias vltro offerret, & gratis largiretur homini ignoto, hospiti, & peregrino? Cum aliquamdiu Christi seruum hac cõtumelia agitassent, simulabant (sed ficte ad maiorem iniuriam) se hominem velle liberum dimittere. At Caluinianus ille ingratissimus, qui pecunias acceperat, suborna-

Hic erat fischeri fratet.

rat qui egredientem retraheret e fuga, & reum ageret læsæ maiestatis. Quo facto, repente totus diripiebatur. Et equo quidem eius vtebantur pro suo libitu: pecunias vero omnes auferebant, excepta quadam particula quæ itineris expensis inseruiret ad Londinensem vsque ciuitatem, quo eum paulo post captiuum mittunt, firmo & diligenti satellitio septum. Vbi cum venisset, & consilio regio rem exposuisset (vel vn-

potius

potius eorum, ne res ad mortui ignominiam diuulgaretur) reiectus est ab eis ad Superintendétem Londinéſem, qui illum primum in vnum carcerem, deinde in alium, tertio in arcem Londinenſem coniecit, vbi ad quartum fere annum, vix euitatis tormentis, pœnam luit huius nefandi reſtitutionis ſtigitij.

Hoc eſt primo in ianitoris ſui cuſtodiã, Secundo in carcere qui vocatur Porta vreſtmonaſterienſis.

Admoneor huius hiſtoriæ commemoratione de quadã aduerſariorum ridicula petulantia, qua ſolent ad antiquiſſimorum hoſtium imitationem, Catholicos vt dæmonibus familiares traducere. Deficeret me omne tempus numerantem, quę in hoc genere figmenta fabricarunt. Pyramis Londinenſis non nullis ab hinc annis, mirabiliter ſane de cœlo tacta conflagrauit incendio furioſo, & inextinguibili: quis aduerſariorum rem non attribuit noſtrorum præſtigijs? veneficia quædam, aut incantationes, membranulis, & figuris conglomeratæ, cum ſimilibus neſcio quibus ineptijs, terræ venis abditę, fuerunt aliquando à quibuſdã inuętę. Res putabatur ad reginę perniciem, & interitum compoſita. Quis nõ inſimulabat huius facti Catholicos? at paulo poſt compertum eſt, miniſtrum quendam magiæ fuiſſe authorem, & participes habuiſſe acerrimos Euangelicos: ſecretum eſt altum de re tota ſilentium, niſi

Pyramis Londinenſis combuſta.

Miniſter de Nervingua.

quòd aliqui, deriuandi criminis causa, adijcere solebant, illum forte ministrũ, dissimulasse religionem, & fuisse animo reuera papistam. Cum haberentur comitia in ciuitate quadam academica, oblatus est iudicibus Bibliopola quidam, cui verba nonnulla in religionis Catholicæ fauorẽ exciderant. Habitus est à consessu peraspere: præter multa enim grauissima in carcere perpessa, res tandem partim Quæsitorum suffragio, partim acerbitate iudicum, eo deducta est, vt hominis, prius in foro diffamati auriculę clauis ferreis columnæ ligneæ affigerentur, & deinde cultro in manus ꝓprias tradito, ipse earum se dissecatione liberaret. Res visa est multis supra modum seuera Quid secutum est? mirabile sane Dei iudiciũ. Iudices ambo, (solẽt enim pręesse duo) omnes etiã Quæsitores, & multi ex pręcipuis totius cõsessus, cum plurimis assistentium, paucissimis diebus inaudito morbi genere, partim in ea ciuitate, partim alibi perierunt. Sed & hoc etiam Catholicorum magiæ tributum fuit.

Iine Rsius; in ciuitate Oxoniẽsi.

Quid ergo nobis integrum, quid securum, Gerarde, cum non solum aliena peccata, Sed & iudicia Dei manifesta nostram in fraudem, & calumniam vertantur?

Infinitus essem, si cætera persequerer quæ moliuntur aduersarij, in cau-

ſæ noſtræ dedecus & ignominiam. Si quem enim nãciſci poſſunt, vel infimũ, & ſordidiſſimum, qui aliquid apportet in Romam conuicij, vel in alios qui fidei noſtræ fautores exiſtimãtur, etiamſi illud e lacunis, & ſentinis collectũ fuerit, aut nullo etiam probabili argumento nitatur: arripiunt tamen hominem auidiſſime, & obtrudunt populo tanquam prophetam. Donãt loquẽdi, perorandi, concionandi facultatẽ, & ſcribendi etiam quiduis pro libitu, & libidine, modo id in Romanæ fiat religionis contumeliam. Vnde tantũ odij? Vnde liuoris tantum, tãtumq; inuidiæ? ſed non ſubſiſtunt hoc gradu immodeſtiæ, nec his finibus continentur imprudentiæ: lõgius multo præcipitantur. Si non ſit qui in Romam conicia narret, qui ſordes congerat, aut notet quiſquilias: ipſi creant de Roma miracula, quæ cõcionibus, menſis, & libris inſeruiãt. Sic nuper libello quodam impreſſo, diuulgarunt mirabilia multa ſuperiori anno Romę contigiſſe, idque per dies multos, quibus deus irã ſuam magnis prodigijs, contra ciuitatem illam oſtendit. Narrant enim, duos ſoles, duaſque irides eodem tempore apparuiſſe, portam ingentem diui Petri corruiſſe, & quatuordecim homines cum octo militibus occidiſſe. Duas etiã turres eccleſiæ diui Petri delapſas, comminuiſſe eccle-

Sic Io. Nicolaum, grammaticum, miniſtrũ relatum, Romam venientem, & de Roma mẽtientem, ſuggeſto donant, & nonilium honorant præſentia.

Hoc eſt die 23. 24. & 25 Ianurii anno 1580

Hic liber impreſſus fuit a Io. Charlevvode & Ei

vvhite, cũ approbationẽ publica subscripta.

siam, & contriuisse multum populum, in quo erant decem & octo sacerdotes. Præterea, ecclesias Franciscanorũ, B. Iacobi, B. Bartholomei, Beatæ Virginis, totum monasterium Mariæ Magdalenæ, integrũ armarium Romanæ ciuitatis, domum hospitalem, in qua erant 150. personæ, cũ infinitis alijs ædificijs simul decidisse, & hæc omnia ideo cõtigisse, vt mundus intelligat Romanã religionem Deo displicere infinita huiusmodi artificia prætereo, quibus indies nituntur causam nostram vulgo odiosam reddere.

Quare, vt tandem in exitum decurrat oratio, vides quo statu, quo gradu, quo cardine versantur res Anglicanæ. Ardent vndiq; persecutionum incendijs, conflictantur orthodoxi, cum incommodis omnibus, cum odijs, cum opprobrijs, cum vinculis, cum iniurijs, & si quid aliud ad vitam afflictã & exquisitam pertinet calamitatem. Aduersarij nullo commiserationis mouentur affectu, sed indies ferociunt, & crudescunt magis. Ad illud enim peruenisse videntur, quod prædixit Saluator, *vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequiũ se præstare Deo.* Catholici autem sequentibus eodẽ loco Christi se verbis cõsolantur. *Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrẽ, neq; me: sed hæc locutus sum vobis, vt cũ venerit hora eorum, re-*

Io. 16.

Ibidem.

miniſcamini, quia ego dixi vobis. Illud etiam ſancti Pauli ſæpe repetunt ad ſolamen, *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, vt poſſitis ſuſtinere.* 1. Cor. 10.

Hunc proventum fidelium, vt compenſationem quandam tolerantiæ perſecutionis promiſſum, ſentiunt egregiũ Anglicani Catholici, eoq; fit, vt præter internam ſpiritus ſancti dulcedinem, hoc etiam externo nõ parum animẽtur & corroborentur ſolatio, dum intelligunt & oculis intuentur, tam mirabiliter auctum eſſe orthodoxorum numerum, poſt ingeminatam perſequentium ſæuitiam. Hæc enim manifeſta eſt amoris diuini ſignificatio, quæ nos certos faciat, ſe noſtrę cauſæ, vel ſuæ potius, nõ defuturum, ſi noſtræ à nobis partes impleantur humilitatis, manſuetudinis, longanimitatis, & patientiæ. Et certe, ſi cogitatione percurramus, quæ iam pertulerint Catholici, vel coniectura metiamur, quæ impendeant perferẽda: nec tribui poteſt humanis viribus, quod hactenus ſuſtinuerint, nec ab eiſdem expectari, vt deinceps perſeuerẽt. A domino ſolo hoc poſtulandum eſt, & à patre luminum precibus noſtris aſſiduis impetrandum, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum* proficiſcitur. Augmentum Catholicorũ in Anglia. Iacob. 1.

Qua (putas) opus est virtute, qua animi magnitudine, qua roborata constantia, vt illa perferant, quæ supra recēsui? cōtumelias illas, & illa dedecora? illos carceres, & compedes illos? illos squallores, illas tabes, illa tormenta, mōrtes illas? & tū scias, quod antea me dixisse memini, id etiam hoc loco repetendum, & tibi diligenti memoria custodiendum, quia verum est, me centesſimam vix partem eorum attigisse, quæ nostri quotidie in carceribus sustincāt. Si ea lege tractarentur Catholici incarcerati qua latrones, qua homicidę, qua parricidæ tractātur, vt vel suorum opibus sustententur, vel aliena benignitate reficiantur: querelæ locum res nō haberet, nec dure nobiscum agi existimaremus. Scio enim futuros multos, tum honestæ, tum honoratæ conditionis Anglos, qui sua potius vniuersa distraherent, & seipsos in obsequiū, & famulatum traderent afflictorum, quam vt tam indigna paterentur, quæ patiuntur indies, inediæ, famis, & nuditatis exitia: sed non licet.

Nolo me aliorsum accipias quàm intelligo: non loquor de magnatibus, qui religionis causa tenentur carceribus, quibus nō inficior, concedi facultatem suis bonis vtendi. Loquor autem de copiosa illa multitudine afflictissimorum pauperum, maxime vero sacer-

dotum

dotum, qui his temporibus tam arctè asseruantur, vt nullus sit ad eos conceſſus aditus, & ſi quis aditum petat, in ſuſpicionem vocatur, & niſi ſe purget, comprehéditur. Sic Hanſius nuper, cũ ingreſſum peteret ad quoſdam incluſos eleemoſynæ deferendæ cauſa, captus eſt tanquam de religione ſuſpectus, & paulo poſt patibulo ſuſpenſus. Sic multi alij eadem ex cauſa in ſuſpicionem vocati, comprehenſi, & incarcerati fuerunt. Atq; his modis terrent aduerſarij Catholicos, ne quis audeat eleemoſynas deferre.

Nec minus etiam periculum eſt dantibus quam deferentibus, ſi reſciſcatur. Reſciri aũt multis modis cõtingit, & aduerſarij nonnunquã vt id eliciant, ſacerdotes incluſos ſubijciunt tormentis, & interrogant, quinam eis eleemoſynas dederint, quinam alia pietatis opera præſtiterint? Si quicquam vi tormentorum faterentur (quod hactenus Deo confirmante nõ faciunt) dupliciter nos inde læderet aduerſarius. Primum, fidem cõfitentibus abrogaret, tãquam ſuorum proditoribus. Deinde eleemoſynarum datores ſic affligeret, vt cæteros timore pœnæ à ſimili deinceps pietate arceret.

Hoc ergo artificio cum aduerſarij iã effecerint, vt nemo audeat quicquã donare, nec quiſquam quod donatũ eſt

Sic Ionſonum Briãtũ Colleg. Rhem: & alios nuper exercuerũt quæſtione ad mortẽ fere hac eadem de cauſa.

carceribus deferre: cõsequatur necesse est, quod plane iam oculis consecutũ videmus, vt incarcerati penuria, & egestate tabescant, & inedia consumente, miserabiliter pereant. Audiuisse te existimo de illa numerositate virorum, qui recenter in carcere Eboracẽsi sunt extincti: non audeo quicquam affirmare, nec suspicari grauius quam quod dixi, licet nõ desint qui suspicentur, eo quod prouinciæ præfectus tam lethali sit & precipiti in nos odio, vt nihil sic in vita cupere, quam extremũ nostrũ exitium videatur. Deus illi benignus sit, & meliorem mentem largiatur, animumque mitiorem in calamitosos immittat, vt ipse etiam aliquando misericordiam apud communem dominum, & iudicẽ omnium consequatur.

Comes Huntingonius.

Si vellẽ acerbitatem, & inhumanitatem repetere, quas annis elapsis Catholici sunt experti in hoc ergastulo Eboracensi, aut quas hoc tempore magis quam vnquam antea patiuntur: nullũ facerem narrandi finẽ. Ex hoc vno fiat coniectura de reliquis. Minister quidam eruditione nõ vulgari, qui aduersariorũ à partibus iam diu steterat, easque studiosissime pro viribus defenderat: eo tandem intelligentiæ, lectione sanctorum patrũ deuenerat, vt clarissime cerneret, suos nulla veritate niti, sed omnẽ à nobis esse, idq; extra controuersiam.

Huius ministri nomen Bellus dicebatur.

Non

Non potuit iuuenis acer conceptũ veri lumen cõtinere, aut urentem pectore flammam cõprimere. Qua re vulgo propalata, hominem comprehendunt aduersarij, terrent minis, sed nõ terretur: aggrediuntur argumentis, sed erat superior: blandicijs mulcẽt, sed nõ allicitur: quid ergo? Trudunt in carcerem, tractant asperrime, nihil tamen flectitur. Tandem suspendunt plantis in cũmodum, vt pedibus in altos cippos insertis, decumberet solis humeris in terram, idque sine lectulo, aut reclinatorio per dies plurimos, illam ei solã faciẽtes gratiam, vt certis tẽporibus ad necessitates corporis aliquãtulum laxaretur. Quid hoc immitius fieri potuit?

Illa etiam crudelitas omittenda non est, quam hoc vltimo persecutionis tẽpore in Iesuitas, & Collegiorum tum Romani, tum ẽt Rhemensis alumnos acerbissime exercuerunt. Nam hoc ipso 1581. anno, die Nouembris 20. qui D. Edmundo Angliæ Regi sacer est, & sequenti vocati sunt ad Tribunal hi Sacerdotes, Edmundus Campianus, Iacobus Bosgrauius Societatis Iesu religiosi. Rodulphus Sheruinus, Lucas Chirbeus. Eduardus Ristonus, Ioan. Shortus Romani Anglorum Collegij alumni: Ioan: Hartus, Alexander Briantus, Gulielmus Filbius Collegij Rhemensis, quatuor item alij Sacerdo-

tes, Richardus Ianſonius, Laurentius Richarſonus, Thomas Fordus, & Ioã. Colitonus, & Orthonus quidam nobilis laicus; quos omnes tanquam læſæ maieſtatis reos ſuis iniquiſſimis legibus condemnarunt. Campianum autem, Sheruinum, Briantum, Ianſoniũ, Boſgraiuum, & alios ad omnium membrorum uſque diuulſionẽ, & pene ad mortem ipſam equuleo torſerant; id eſt tormenti genus, in quo ſupinum hominẽ primo extendunt, manusq; ac pedes articulatim ligant, funes deinde, quibus ligatus eſt, rotis quibuſdam paulatim eouſque trahunt, donec omnia mẽbra luxentur. Pronunciata igitur ſententia, P. Edmundus hilari vultu, & clara voce, pro tanto beneficio Deo gratias agens, cantat, Te Deum Laudamus, te Dominum confitemur &c. Sheruinus autem, Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lętemur in ea: Briantus vero, ſententiæ iniquitatem conſiderans, ſummum Iudicem appellat his uerbis, Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam &c. Atque ita ingenti cum alacritate diſcedunt à conſpectu concilij gaudentes, quod digni habiti ſint pro nomine Ieſu contumeliam pati. Antequam ad carcerem reducerẽtur P. Campianus populum his verbis allocutus eſt: Audiſtis nos, tanquã reos læſæ maieſtatis condemnari. Sed quàm

id

id merito factum sit, vos, quæso, ipsi cogitate. Etenim si tot modis Reginę offendissemus maiestatem, nequaquam illa & Senatus eius vniuersus nobis & vitam, & libertatem; & rerum omnium abundantiam toties obtulissent, si modo eis, in rebus non adeo magnis, obsecundare voluissemus: Immo etiã hic ipse arcis Præfectus hæc eadem, & maiora mihi promisit, si vel semel tantum cum hæreticis templum adijssem. Itaq; viri optimi, non perduellio, non maiestatis læsio, sed verę Religionis zelus ad hoc nos capitis discrimen adduxit.

Fuit etiam illud, inter cœtera, in Alexandro Brianto, dum ad tribunal cum reliquis duceretur, constantissimæ pietatis indicium, quod tanquam signifer eximius incederet, crucem manu gestans, & ostendens, quam ipse, & in ea Saluatoris nostri imaginem carbone depictam, in ipso carcere confecerat. Cum vero ab hæretico nescio quo, eã abijcere iuberetur, Miles, respondit, Christi crucifixi sum, nec unquam salutiferum hoc vexillum deseram. quod ts men cum è manibus illi nefarius quidã eripuisset, Potuisti, inquit, è manibus euellere, at è corde nunquam diuelles, quin potius sanguinẽ pro eo funderim meum, qui suum pretiosissimum pro me fudit in cruce. Summam Alexander iste constantiam semper præ se tu-

lit, cum enim equuleo, in quo semel ad tres horas iacuerat extensus, iterum, aciculis etiam sub manus, pedumq; vnguibus crudeliter infixis, acerbissime torqueretur. Hocci ne, aiebat, totū est quod potestis? Si nihil aliud sunt vestri equulei, accedant huius rei causa centum alij: ego enim Catholicæ religionis causa longe graviora ferre possum. Neque vero mirum uideri debet, eum tam fortiter contempsisse tormenta, qui in ipsis mirifica Spiritus sancti dulcedine fruebatur, vt ipsemet in litteris, quas ad Patres Societatis Iesu in Anglia degentes ex carcere scripsit, locupletissime testatur; cuius uerbis referendis eo hic cōsilio supersedeo, quòd ad libelli calcem eadem epistola adiecta sit. Iam vero Sheruini in patria inuanda caritas explicari haud facile potest. Romæ enim cū adhuc moraretur, tā acri huiusce rei desiderio flagrabat, vt grauissimis cruciatibus, quibus torqueri in ea catholicos homines sciebat, nō modo non terreretur, sed incitaretur etiam uehementius. Et quidem ille, vt erat optimis naturæ, doctrinę, & virtutis dotibus ornatus, patriæ adiumento fuisset non mediocri, nisi quod eum nix in Angliam ingressum comprehendunt aduersarij, onerant compedibus, & in carceris tenebras conijciunt. Liber tamen animus de animarum salute,

non

non minus quam antea, sollicitus, non quiescit in carcere, sed proximorum se vtilitati, prout licebat, impendit, multosq; vinctos Ecclesiæ reconciliat. Erat inter alios per id tempus in eodem carcere hæretici duo, ex turpissima Amoris familia, ob hæresim comprehensi: hi, cum Sheruinum aliquando diligentius obseruassent (erant enim in proximo fere cubiculo) ex compedum, quibus vinctus erat, assiduo conspectu singulari quadam lætitia gestire, insanum, qui tantam ex compedibus caperet lætitiam, arbitrabantur. ille enim quod se vinctum aspiciebat pro Christo (vt ex eius litteris cognouimus) tanta interiori voluptate perfundebatur, vt gestiret totus, exultaretq; præ gaudio. Cum tamen deinde ad familiare colloquium venissent, rem aliter se habere conspiciunt; eumque non modo sanum, ac mentis compotem, sed prudētem etiā, atq; doctum esse aduertunt; sermone deinde longius protracto, cum officij recitandi tempus instaret, venia ab eis humaniter postulata, procumbit in genua Sheruinus, & qua poterat reuerentia, ac deuotione, recitat: quod eos, ob rei nouitatem, magnopere commouit. ad cænam postremo cum venissent, sermonem de religione instituunt, multisque in eam sententiam disputatis, eos Sheruinus ita rationibus conuincit, vt

non

non multo post ecclesię reconciliet. illi vero turpissimæ familię hæresi, ob quã comprehensi fuerant, abiurata, catholicam fidem professi sunt, ob eamq; in carcere in hodiernũ vsque diem asseruantur. Iam vero cum equuleum illi minarentur aduersarij, eoq; adducta res esset vt paulo post cruciandus videretur, parat se strenue, & cruciatus sibi ad necem vsq; perferendos proponit, eorumq; auctores, non sine magno charitatis argumento Deo obnixe commẽdat; sed illum Deus ad clariorem triumphum reseruabat.

Calendis igitur Decembris summo mane hora circiter 3. ex illis Sacerdotibus, quos publica sententia damnatos diximus, tres, Cãpianus, Sheruinus, & Briantus ad arcis, in qua seruabantur, ianuam, vt regni mos est, magistratibus Londinensibus ad supplicium traduntur. Quos illi excipientes imponunt sledis (id est carri humile genus sine rotis, super terrã equis trahentibus lapsans) & Campianum quidem solum, Sheruinum autem, & Briantum simul alligant, trahuntque supinos per vrbis plateas, ad Tiburnum vsque latronum supplicio infamem locum, & à castro per tria fere milliaria distinctum. Quo vbi ventum est, primus Campianus scalam, vt suspenderetur ascendit, vbi, func iam ad collum, ac suspendium alliga-

to, tam se intrepide, constanterque ad concionandum componit, vt Principes qui aderant, ipsiq; hæretici vehementer obstupescerent. Conuenerant enim illo tres Comites, Barones sex, equites aurati, alijque viri illustres quamplurimi, & tanta hominum multitudo quanta simul in eo loco nostro hoc seculo visa est nunquam. Exorsus est igitur illis verbis, Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus, sed à Vicecomite Londinensi interpellatus, orauit omnes, qui aderant Catholicos, vt cum se animam agentem cerneret, fidei symbolum pro ipso recitarẽt, vt quam ipse eo tempore profiteri voce nõ posset, multorum catholicorũ voces pfiterentur; sed illũ adhuc loquẽtem ab scala deturbant carnifices, strangulatumq;, alijs duobus inspectantibus in quatuor partes dissecant; si quo modo illis possint terrorem incutere; sed nihil inde terrebantur. Cũ enim Campiano iam confecto cruentas manus, ac brachia Sheruino carnifex inijceret, adderetq; ad terrorem; Veni Sheruine, accipe & tu mercedem tuam, ille ad hominem conuersus læto, hilariq; vultu. eum amplexatus, cruorem manuum osculatus est. quæ res ita populum cõmouit, vt magno murmure Vicecomiti extorserint, vt ille quæ vellet, loqueretur. Ascendit igitur scalam, efficacissi-

mamq;

mamq; cohortationem ad populum habuit, eaque absoluta collum laqueo, vt suspẽderetur, inseruit, vniuersa multitudine acclamante, Bone Sheruine, Dominus Deus recipiat bonam animã tuam: qui clamor durauit diu, eoq; ia mortuo compesci uix potuit.

Postremo Briantus antequam suspẽderetur, breuem fidei confessionẽ præfatus est, & innocentiæ suæ ab omnibus læsæ maiestatis cogitationibus, nedum factis protestationem, quam eius uere innocẽs vultus, & ppe angelicus (erat enim iuuenis pulcherrimus, nec vigesimum octauum annũ excesserat) non obscure confirmabat. Sed illud in eum omnium oculos, atq; animos rapiebat, quod ingenti eum gaudio prope mortẽ perfundi conspicerent, quod ille ortum quidẽ ex eo fatebatur, quod se Deus ad mortem pro catholica fide oppetendam elegisset; auctum vero, quod una cum Patre Campiano, quem vnice colebat, moreretur. Et vero hunc iuuenem ob id maxime oderant aduersarij, quod Patribus societatis Iesu familiaris esset atque intimus, neque de illis in grauissimis cruciatibus quicquam prodidisset, sed emissis clanculum litteris in eorum societatem recipi postulasset. Quæ vero eorum mortem corporum carnificina consecuta sit, nihil est quod in præsentia repeta-

mus, cum in læsæ maiestatis reos (cuius illi criminis falso insimulabãtur) pœnæ, à nobis sint paulo superius commemoratæ.

Mitto hic asperitates, quæ in fœminas incarceratas exercẽtur, quibus præter carceris molestias, illud etiã addũt aduersarij doloris, vt earum plectant maritos, licet sibi in omnibus cedẽtes, & cõformes (vt loquuntur) nisi vel cogant vxores ad exẽplum suum, vel omni eas alimonia, & sustentatione priuent. Quid ergo facient afflictissimæ mulieres, cum nec ipsi mariti, res vitæ necessarias suppeditare permittãtur? an non penuriã tabescendum est? an non egestatis incommodis pereũdum? & tamen cuãgelici nostri his non mouẽtur.

De carceribus Londinensibus possem tibi multa, & luctuosa referre, tam de nuper extinctis, quam de misere viuẽtibus, nisi vererer, ne mea querela grauioris esset acerbitatis occasio. Illud tamen est certissimum, multos extrema quæque perpessos esse ob summã egestatem, & expectare quotidie, vt longe plura, & grauiora patiantur, si lex illa seueriss ima de adeundis ecclesijs, executioni mandetur, quæ breui tempore, Catholicos omnes penitus est exhaustura, & oppressura, ita vt nec sibi, nec familijs, multo vero minus afflictis alijs subuenire possint. Quo profecto res An-

Lex de adeundis ecclesijs supra pag. 85

glicanæ

glicanæ in extremam calamitatem, & Christianis auribus inauditam, prolapsuræ videntur, nimirum, vt homines innocentes, ob solam auitæ fidei conscientiam bonis proprijs spoliati, fame pereant & consumantur.

Cõclusio. Vnde, vt vno verbo concludam vniuersa: duæ res solum super esse nobis videntur in his augustijs præstandæ. Vna vt dominum nostrum & Saluatorem Christum, ardentibus votis, & precibus imploremus, quo nostri misereatur, & persecutorum nostrorum animos emolliat. Altera, vt animo firmus certo, constanti, & resoluto, quid uis illius causa sufferendi, & tolerandi, cætera omnia sanctissimæ eius prouidentiæ deferentes, ea certissima persuasione & fide, quòd ille nos hac mẽte constitutos, & totos in suam tutelam proiectos, securissima via diriget in portum salutis nostræ.

Hoc animo, si imbuti fuerimus, & si inducrimus hanc armaturam spei, fidei & feruentis charitatis, adiuncto rerum omnium mortaliũ, & mundanarũ conteptu, si aliquando (inquã) radicitus defixi fuerimus in hac firmissima, & immobili petra, quę est Christus noster crucifixus: quicquid fæuierint in nos aduersarij, facillime, & nullo cum negotio sustinebimus. Fruemur enim illius hominis summa securitate, quẽ Saluator vt

vere

vere sapientē in Euangelio cōmendat *qui ædificauerat domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerūt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petrā.* Immo sentiemus corde, & ore profitebimur cum illo sanctissimo & fortissimo religionis nostræ duce, & Christi Saluatoris athleta Paulo. *Quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* quasi dicat, horum nihil: statim enim subijcit: *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, qua est in Christo Iesu domino nostro.* Matth. 7. Rom. 8.

O vocem excelsam, & Apostolo tāto, hoc est, Paulo dignam. Quid potest dici aut fingi animosius? quid potest humana mente cogitari cōfidentius? Hoc ergo nobis intuendum, qui eadem de causa conflictamur qua ille, hoc nobis imitandum, qui eodem in agone certamus quo ille, eandem coronam speramus quam ille, eundem remuneratorē expectamus quem ille. Huc omnis nostra cogitatio, & vires omnes conferendæ sunt, vt confidentiam hanc firmam in aduersis omnibus retineamus, e qua

tanta

tanta demum existet fortitudo, & in rebus vel asperrimis, & durissimis consolatio, quanta sufficiat ad perducendos nos, *per ignem & aquam in refrigerium*, vt inquit ille, hoc est, per arduas huius seculi molestias, & calamitates, in eternam Dei, & beatorum omnium requiem, gloriam, atque felicitatem.

Psal. 65.

FINIS.

GERARDI, DE PRAECEdenti Epistola, *ad Catholicum lectorem admonitio.*

CVm epistolam hanc ab amico transalpino scriptã, familiaribus quibusdam impertiuissem meis: eorum factum est rogatu, & pia quadam importunitate, vt in manus permitterctur quorundam magnatum, & principum virorum, quibus vel suadentibus, vel imperantibus potius, typis est excusa. Existimabant enim ad rem Christianam non mediocriter referre, vt hæc tam insignis Anglorum persecutio, qualem post multa secula non sensit ecclesia, non solum ætati communicaretur præsenti, verum etiam venturæ posteritati transmitteretur. Habet enim quæ & presentes excitent ad commiserationem, & futuros instruant ad cautelam. Illud autẽ admonere volui, quod alijs me litteris admonuit amicus, se, cũ plurima in cæteris epistolę partibus, tũ illud sponte in legum texendo catalogo omisisse, quod multis legibus & edictis cautum sit in Anglia, ne Catholicus, exilio, vel patriæ derelictione, pœnis se, vel persecutioni subtrahat. Prouisum enim est, ne quis regni fines egrediatur nisi obtenta prius à Cósilio Regio facultate, & licentia. Si quis autem sine particulari licentia egressus fuerit:

amit-

amittet possessiones omnes pro vitæ suæ tempore. Nec licet cuiquam ante egressum ea quæ possidet, vxori, liberis aut amicis donare, quia hoc in fisci regij fraudem existimabitur factum, & fiscales, actione doli mali, facile recuperabunt. Huius autem legis de fugitiuis (vt loquuntur) tam stricta, & seuera fit obseruatio, vt nemo vel patrē, vel maritum, vel fratres, vel liberos extra Angliam, sine particulari licentia degentes (hęc autē licentia cum cæteris difficulter, tum Catholicis nunquā, vel difficillime conceditur) quauis ratione iuuare, aut quouis subsidio subleuare audeat. Immo quod seuerius est, patres omnes quorum filij his in partibus, vel alibi, studiorum causa extra Angliam versantur securitatē prestare, & pactione se obligare coguntur, aut filios statim retrahendi, aut omni eos alimonia, & sustentatione priuandi. Quæ omnia eo tendunt, ne Catholicis Anglicanis, vlla solatij particula, vel domi, vel foris permitteretur. Atque hæc admonenda duxi, quia in epistola ipsa prætermissa fuerunt. Reliquum est, vt Christiani omnes perspectis suorum fratrum, & visceum angustijs, pro communi vinculo charitatis, quod intercedit in totó corpore, ardentissimis rem precibus communi domino commendent.

EXEMPLAR LITTERARUM à sacerdote quodam Alex. Brianto, Collegij Rhemensis alumno intra turrim Londinensem concluso, nunc inclyto Christi Martyre, ad patres Societatis Iesu in Anglia degentes.

Lectori pio.

IT si verum sit, Catholicos carceribus Lõdinensis castri inclusos, tã arcta, & inhumana teneri custodia, vt nec amicorum aditus, nec aliorum hominum societas, aut colloquiũ, multo vero minus libri, charta, aut calami permittantur: tamẽ, dum haberentur, nuper disputationes quædam cum P. Campiano incarcerato, nonnulli eorum, qui audiendi causa intrauerant, opportunitatem nacti, digressi sunt ad quorundam sacerdotum inclusorum latibula, vt Christi seruos viderẽt, & salutarẽt. Qua sancta Dei prouidentia factum

est, vt nonnulla de illorum statu, & summa consolatione, quæ Diuina bonitas inter extremas angustias eos reficit, ac recreat, intelligetur. Inter alia vero, hæc subsequens Epistola raptim exarata ab afflictissimo sacerdote, & iterum, atque iterum tormentis agitato, dictate profecto (vt videtur) Spiritu sancto, in manus nostras peruenit. Quam mihi à reuerendis patribus Societatis Iesu, ad quos erat missa, communicatam, apponere hoc loco volui, verbatim ex ipso authoris chirographo descriptã, vt mortales intelligant, non esse abbreuiatam manum Domini, quo minus nunc quam olim, confessoribus suis in necessitatibus opituletur, & intra densas carcerum caecitates assistat.

Reuerendi patribus Soc. Iesu.

Notiescunque mecũ cogito (reuerendi patres) quàm ardenter, & quàm varijs modis Deus Opt. Max. nostram quęrit salutem, nostrum cupit amorẽ; cor nostrum possidere, & in nobis regnare desiderat: toties stupore confundor, quòd nos miseri homines, vel beneficijs commoti, vel allecti præmijs, vel saltem stricto Dei iudicio perterriti, totis viribus illi non obsequamur, nec offeramus ipsi corpora nostra in hostiam viuentẽ, & holocaustũ perfectum. Nã prẽter immensa eius erga nos beneficia, creationis videlicet, redemptionis, conseruationis, iustificationis, & quam speramus, glorificationis: prẽter hęc (in quam) & infinita alia, verbis suauissimis nos adhortatur, ut propemus ad ipsum. Ego (inquit) diligentes me diligo: & qui mane vigilauerit ad me, inueniet me: beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui

me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Vbi autem quærendus sit, ipse Dominus ostendit his verbis: Vbi duo vel tres cõgregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Ibi vere putandus est esse Christus, vbi multi charitate coniuncti, ideo conueniunt, vt Deum honorẽt, Deo soli deseruiãt, eiusque præcepta custodiant, & regnũ eius gloriosissimum propagent. Qui hoc ipsum audit, veritatẽ discet, & nõ ambulabit in tenebris, & errorum caligine, sed securus vadet ad fontes aquarum.

In talibus congregationibus Deo sacratis, via recta in cœlum tenetur, non vepribus obsita, sed sanctorum vestigijs incessanter attrita, non flosculis huius amari seculi ornata, non deliciis aut blandimentis affluens, sed legibus, regulisque sanctissimis munita, vt stulti nõ errent per eam, nec quisquam in illa deuiet, nisi qui suã salutem prorsus negligeret. Hic cuncta in numero, pondere, & mensura, apte disponuntur, vt vere sapientia inhabitare dicatur, cu

ius

ius opera omnia mire ordinata sunt. Hic viget cœlestis quędam fratrum correptio, suauis affectuum prauorum castigatio, & mutuę charitatis ineffabilis prouocatio.

Ob hęc, aut his similia, ante biennium apud me firmiter proposueram, hoc vitę genus suscipere, si Dominus voluerit: & cum viro docto, & pio, tunc spirituali meo patre, huiusmodi sermonem habui: An, si ex patria, rationabili de causa redirem (eram enim eo tempore in transmarinis partibus) fore sperarem, vt me patres societatis in sanctam obedientiam recipe rent? Cuius sententia fuit, vt hac de re nullatenus dubitarem. Hinc augebatur spes, accreuit animus, & hoc biennio dū in Anglia versarer, sępius mente renouaui propositum hoc. Sed quia sperabam laborem meum, & industriam in messe Domini non prorsus inutilem, distuli propositum. Nunc autem cum diuina dispensatione libertate priuet, vt huic vtili labori meipsum diutius non possim impendere: iterum renouatur desiderium, iterum incaluit, & exar-

descit spiritus, & tandem votum Domino Deo voui, non temere, (vt spero) sed in Dei timore, nec ob alium finem, quam vt inde sanctius, & gratius obsequium Deo præstem, ad maiorem Dei gloriã, certiorem salutem meam, & ad glorioſiorem de spiritali meo hoſte triumphum. Voui equidem, vt cum Domino placuerit me liberare (ſi tamen aliquando placuerit) intra vnum deinde annum, patribus ſocietatis me totum reſignaturum, & (ſi Deo inſpirante me reciperent) libenter, & ſummo cũ gaudio in perpetuum, volũtatem meam omnem in Dei ſeruitium, & eorum obſequium, penitus, penituſque traditurum.

Hoc votum in ſummis angoſtijs, & tribulationibus meis, magno mihi gaudio, & ſolatio fuit: & ob hoc, maiori cum fiducia impetrandę fortitudinis, & patiẽtię, acceſſi ad thronum diuinę maieſtatis, patrocinio fretus B. Mariæ ſemper virginis, & omnium ſanctorum. Quod quidẽ à Deo profectum ſpero, quia in ipſo orationis tempore a me factum fuit,

cum

cum mihi videbar cœlestia cogitare. Sic enim res gesta est. Eodem die, quo primum tormētis cruciabar, antequam ad locum processi, orationibus vacans, & Domino Deo me, meaque omnia commendans, superna quadá spiritus dulcedine replebar, dum inuocarem sanctissimum nomen Iesu, & B. Virginis Mariæ (dicebam enim Rosarium) hilaris erat animus, bene confortatus, & promptus ad perferenda tormēta, quæ tunc certissime expectabam. Tandem in mentem venit prædictum propositum, & simul etiam coincidebat in animum, vt nunc voto firmarem, quod antea statueram. Peractis precibus, hæc animo reuolui, ratione qua potui discussi, bonum iudicaui, desiderium compleui, votum prædicta conditione libere emisi.

Quod factũ, Deus ipse mihi videtur statim probasse. Nã in omnibus angustijs, & cruciatibus meis de infinita sua bonitate misericorditer mihi affuit, confortans me in necessitate, & liberans animam meam à labiis iniquis, à lingua

dolosa,& à rugientibus paratis ad prędam.

An quod dicam mirabile sit,nescio, Deus scit: sed quod verum sit, testis est coram Deo conscientia mea. Hoc dico, quod in vltima tortura, cum crudelius in corpus sęuirent aduersarij, manibus, pedibusque violēter extentis, omni tandem fere doloris sensu expers eram: nec hoc solum,sed etiā quasi refocillatus à prędcedentis torturę doloribus, sensibus perfectis,mente quieta, & corde tranquillo perstiti. Quod videntes Commissarij, exeuntes iusserunt me eodem modo iterum in diem posterum cruciari: quod audiens, credebam equidem, & sperabam diuino auxilio me patienter laturum. Interea meditabar (vt potui) Saluatoris nostri acerbissimā passionem, innumeris doloribus plenam, dumque hęc ipsa agerentur, vulneratam putaram sinistram manum in medio palmę, & sanguinem effluxisse existimaram,sed reuera nil tale fuit,nec alius tunc dolor,pręter illum manus,grauabat.

Nunc ergo, vt innotescat vobis

petitio,& postulatio mea,cũ nulla spes reliqua sit, nos breui pristina libertate ita fruituros, vt vestras Paternitates præsens alloquar (quod vtrũ aliquando sit euenturũ, nulli mortaliũ est notũ) interim humiliter me vobis submitto, supplicíter rogans, vt pro me,& de me faciatis,quod vestræ prudentiæ visum fuerit. Et si fieri posſit,vt absens in uestram societatem ascribi,& recipi queam,supplici mente & toto corde exposco, vt sic cum humilibus humiliter sentiam, cũ deuotis, Dei laudes personem, & continue gratias ei pro beneficijs suis referam. Tum etiam, plurium suffragijs adiutus,tutius curram ad propositum brauium.

Non ignoro infinitas esse antiqui hostis insidias, tortuosus enim cum sit coluber,mire simplicium animas, qui fidelem ductorem non habent, sua vafricie deludere conatur, in Angelum lucis transformãs se, vt non sine causa admoneamur, vt probemus spiritus si ex Deo sint. Vobis igitur, quoniam spirituales estis, & huic certamini assueti,committo totũ

negotium istud, per viscera miseri cordiæ Dei obsecrans, vt me nestro consilio, & sapientia regere dignemini: & si vtile videatur in oculis vestris, ad maiorem Dei honorem, ecclesiæ vtilitatem, & animæ meæ æternã salutem, vt promouear ad hanc sanctissimi nominis Iesu Societatem: in præsenti obedientiam promitto coram Deo in foro conscientiæ meæ, omnibus, & singulis præpositis constitutis, & constituendis: omnibus item regulis, legibusue in hac societate receptis, pro mea virili, & quantum me Deus adiuuet: testis dies iste, testis & hoc chirographum manus meæ in die Iudicij. De corporis valetudine non est quod dubitetis, quia iam fere pristinam fortitudinẽ, & robur, Deo donante, recuperaui, & in dies magis magisque conualesco. De cætero me vestris orationibus commẽdãs, uos in Domino valere iubeo, sollicite expectãs, quę sit vestra de me sententia.